FRANCISCI FELLINI
MEDICI
RESPONSVM

Ad litteras Perillustris, & Excellentissimi Palladori Turricellij Audit. Generalis Exercitus substitut.

PRO
SERENISSIMO
FRANCISCO ESTENSI
Christianissimæ Galliarum Maiestatis
GENERALISSIMO.

Ad Perillust. & Excellentiss. HIERONYMVM MORAGGIVM Ciuitatis Placentiæ ARCHIATRVM.





PLACENTIÆ,
Apud Ioannem Antonium Ardizzonum Impress. Cam. 1648.
De Consensu Superiorum.



HIERONYMO
MORAGGIO

Perillustri, ac Sapientissimo Viro

Medicorum Ciuitatis Placentiæ Archiatro.

Franciscus Fellinus Medicus, & Nobilis Placentinus. Fœlicitatem. P. P.





N solis musis consenescere laureatum, & sibi tantum vacare Vir Excellentissime, nõ esse sapientissimum Seneca sanciuit moralis: Illum autem, qui in forum per vices sponte prosilit, insigni famæ præconio venustat, suasum autem, et impulsum inter celebres hominum coronas colit, adorat. Imprecor Fortunæ quod hoc tamdiù me latuerit, doleo vsque adhuc me hoc ignoraße, & licet Piceni dum Medicinam fa-

 2 ciebam

ciebam, cum in Aula, cum in Persona Eminentissimi Cardinalis Sacchetti instar alterius futurorum Promethei opusculum de Venenis terminatis publicis tradidi typis, Florentiolæ Demonstrationem contra dicentes venam non posse tutò secari in pueris ante decimum quartum annum. Imprecor Fortunæ sponte maiora non impressisse, sicut anno sequenti centum consilia Medico legalia euulgabo: Quid enim nobilius amphibologizantibus scrupulis restituere nitorem, quid præclarius ornatu verborum endelêtico spineta abditorum latebrosa splẽdicare, sic in hac Arena educatus Fernelius annalizauit, non sibi tantum, sed etiam alijs communicare Philosophiæ Diademate coronandum. Hoc quidem, & si veritate ipsa veracius, quæ nec Apollinis oracula aut Sybillæ folia sunt veriora Vir Excellentissime, & ego non sum nescius credo, affirmo, hac vice tamen à placitis illius tantillum lubebit discedere, non quod ego, vt qui in forum spontè, vel causatim prosilit haud sim famæ sitibundus, auræ popularis amator, sed maximè vt aperto pectore dicam, cũ à multitudine ægrotantium grauatus, cum ab ingenio distracto deturbatus, in optatis non respondente fortuna, silentij velarijs hac vice libentissime direxissem cursus. In periculo enim laudabilior aliquando est calamus Pitagoræ quam vox publica Perocli Faxit Deus, multos scientifico fastu in vulgo tumescentes, fulgore suæ fortunæ insolenter gloriatos typis publicis non edidisse, vice enim Plebeos augendi rumores,

perni-

perniciosò vituperij naufragio enatauere. Et in hoc Oceano ut qui illoto calamo irrumpo, & ego Excellentissime Moraggi in hac consultatione submergar, hanc enim composueram ut monitus, missceram in scriptis ut iussus sed non ut tam vilis, & inchoata abortio præcipitata editione publicata in hominum manus veniret ni subito ab Excellentissimo Palladoro Turricellio Auditoris Campi Exercitus Generalis Sereniss. Ducis Estensis substit. euulgari. In hoc Oceano inquam submergar Sapientissime Domine ni ab anchora tuæ protectionis, & zephyro ad portũ salubrem tamquam ad stellam Polarem sim adductus. Scio quantum tua apud inuidos valitura sit auctoritas. Cognosco te non inter postremos qui meum amplexi sunt patrocinium euulgari: Opusculum ergo quantulumcumq; sit, sicut dono sic ut tuũ deffendere non hæsito. Pereant inuidi lætentur amici. Vale. & pro publica Ciuitatis Placentiæ vtilitate Nestorea vale.

Placentiæ die 20. *Septembris* 1648.

COPIA
RESPONSI CADIT
HOC TENORE
VIDELICET.



Perill.ris & Excel.me Domine mi Obser.me



VAS literas Placentiæ ad me Pridiè Idus Septembris datas vir Perillustris, & Excellentissime perlegi. Per dies octo pudor me prohibuit hominem tenuis fortunæ nulliusque propemodum virtutis responsa dare, sed ne me tantillum laboris tua causa defugisse videas, imò nullã sarcinam tam grauem, tam molestam cognoscas quæ mihi tua parte non leuissima non etiam iucunda videatur, confestim meo imperaui calamo subitaneas vices ad quod efflagitas de mortifera procella cum Formalitate affectuum, subiectis, causis, Indicationibus, Prognostico & methodo curatiua Illustrissimi D. Pompei Pallioti Serenissimi Ducis Estensis intimi ephebi aggredi. Festinaui tua iussa explere, properè exequi mandata licet multis ęgrotantium curis obseptus, varijs malignantium fluctibus obrutus. Pro quo præstãdo, primò perstringam Illiadem querelarum Illustrissimi viri, secundò circà fluctuosum Meandrum de quo fuit illaqueatus passus tandem mortuus versabor: Interim vir Excellentissime tuo genuino sapore inscitiam mei calami dulcorabis, siquid erit inconditum, nec benè discussum, & temporis breuitati octo dierum tantùm & Artis occupationibus condonabis.

Quod ergò ad primũ Illustrissimus iuuenis annũ circà agens vigesimum post multa errata in non naturalibus,

præcipuè in laborib' corporis bellicis cępit decima quarta Augusti 1648. Luna in quinto gradu Cancri, Sole autem in vigesimo quarto gradu Leonis aduersa valetudine præmi videlicet calore per totam corporis circumferentiam caumatico, continenti in frontispicijs homotono vsque ad quintam, à quinta vsque ad vndecimam continenti eparacmastico, post vndecimam tamen vt patebit proportionato: Siti asperrima, vomitu biliosо principaliter, etherogeneis materijs associo. Totius tonicę quietis destitutione, vigilijs interruptis assiduis, aluo fluuida diarrethica, viribus sinistris languescentibus. His laboribus, & his symptomatibus per quinque dies non solum enixus est, sed pro virili Marte vt pluries mihi exposuit connixus est charybdes morbosas perpati quasi si non laborasset inscius, & hoc numine nobilitatis natiuo non tantum afflatus quam pro propagando dulci famulatu in Serenissimum eius Principem. Quia tamen in illis temporis suppetijs morbus inducias non dedit, imò maiores semper figebat radices, amplius non occludere, sed aperite morbos fuit coactus sic ex ordine Serenissimi Principis Placentiam omni corporis commodo intromissus Illustrissimum ęgrotantem visitaui, & non solum à supradictis afflictatum, sed ab alijs vehementer ingrauatum cognoui videlicet.

Quo ad Actiones perdius, & pernox semper in vigilijs viuebat, summus capitis dolor infestabat, in abdomine autem tormina, & cruciatus per vices continua, sęppè interpollata. Magnum difficilem, ac fętidum hanellabat spiritum, pulsum paruum celerem frequentem, & cũ maiori arteriæ contrahentis celeritate, motus imperantis voluntatis non solum lacessitus, sed etiam naturalis hebetus, totius corporis inquietudo, virium omniũ lapsus.

Quo ad excreta, & primo Alui frequens apparuit in fron-

fronte meæ curationis deiectio, quæ excernebantur toto ferè genere à naturali excrementorum alui constitutione apparebant, primò liquida biliosa, deindè mucosa alba, & maxima copia tandem cruenta non solum sed multa sanie comitata, semper tamen cruda fętida malèque olentia, sanguis nonumquam fuit cum fæcibus in quanto cō-tinuus, aliquādo discretus. Vrinæ illuxerunt primò turbidæ crassæ fœtidæ, tādem persimiles bellissimè valentibus, sudores pauci, & tantum symptomatici, screatio autem copiosa assidua.

Quo ad qualitates mutatas calor numquam respondit magnitudini morbi, sed magis mitis, & benignus apparuit, imò aliquando frigidus, & tepidus extrà apparebat, intus verò œstuans vt neque linteum tenuissimum posset sufferre: serenitas vultus de die in diem semper nubilabatur, & ad hipocraticam iterabat, linguam intensissimè sitientem, & mirum dictu quasi asperitatis Tantaleę emulatricem: In his difficultatibus à sexto die aditus Placentiæ vsquè ad vndecimum continenter laborauit non homotenè, sed quidem eparacmastice: imò in vndecima die & aliud vehementer patientem, & Medicos deturbans se ostentauit, Tenesmos cum relaxatione musculi sphincteris annum reserantis, ab huius tanta aperitione plagiferū totum apparuit intestinum, Vlceribus sordidissimis saucium, in decima sexta natura à supradictis omnibus prorsus exhausta, & festucas, & à veste floccos carpere tentauit, in vigilijs lentò lethargizauit, & si in principibus actionibus Illustrissimo viro apertę semper illuxere veræ cognitionis ianuæ tum quo ad corporalia, verum magis ad sacra. Decima octaua dormiuit in agone, decima nona interijt, & hæc pro syncera facti normula Illustrissimi patientis paucis perstricta dixisse satis. Pro qua ne surdis in hac re agam testimonijs, Veritatis protypon patroci-

nantur Excellentissimi Medici Hieronymus Moraggius, & Franciscus Vermius in curatione collegæ.

His ergo à capite ad calcem sic conspectis cum inualuerit consuetudo Excellentissime Palladore, vt qui consiliorum monumenta scriptaquè in lucem proferre debent, talia methodo compendiosa, dilucida, ac ordinata publicari sic Nicolaus Pesanus in princ. suorum cons. Iauell. in fronte capit. logical. aliter spe famæ, & curationis secundioris ex curatione legentis auctor mendosas adipiscitur labeculas. Hoc autẽ vt euitem, semper enim fui tanti sceleris profuga metron reclamabit quatuor speculanda capita. Primum circa Illustrissimi patientis naturalem temperaturam totius atque membrorum. Secundum circa morborum causarum atque symptomatum essentias cum suis coniunctis. Tertium circa Indicationes curatiuas, & prognosticum. Quartum circà methodum curatiuam.

CAPVT PRIMVM.

In hoc Illustrissimi patientis naturalis temperatiua totius atquè membrorum exponitur.



Ritissimum est non solum à Natura, sed etiam ab Arte viam non esse ad morbi cognitionem suarumquè causarum ni prius (vt pinguiori Minerua dicam) præcesserit cognitio temperaturæ totius, & omnium membrorum siue Parenchimizantium siuè inseruientium. Auctorizat Excellentiss. Syluaticus Eques Patauinus, & Medic⁹ mei Præceptor de meth. med. Capiuaceus de meth. & ne auctoritates suis destituantur

ratio-

rationibus, sed vt legibus se fulciãtur patrocinatiuis, magis enim Medici erubescunt quando sine lege loquuntur quam Iuristæ, & adhuc magis quia interrogati de sero nõ tenentur respondere de mane Valeriola de locis communibus lib. pri. & ratio aspirans est quoniam cum Medici certa ratione operãtis scopus sit humani corporis, & eius partium naturam seruare, & quæ in ipsis præter naturam irruunt profligare, hoc autẽ Physicus assequi nõ possit nisi hominis naturam seu temperiem cognouerit, sic expediuit me tamquam artificem priusquàm morbum debellem quomodo seruãda sit natura Illustrissimi etiam in medendo dignoscere. Hoc vt à ratione minimè alienissimũ mille locis Gal. inclytis litterarum monimentis consecratus est 9. Meth. curat. cap. 15. lib. de dyspnea ad principium, & in lib. de cib. bon. & mal. succi. Primo art. curatiuæ ad Glauc. cap. pri. Auicenas 4. pri. cap. 1. Temperiei enim naturalis neglecta notione quis in arte medica, & si primi pilus Antesignanus quis poterit vmquam idonea medicamenta ęgrotanti associare ob incognitam distãtiæ proportionem intemperiei præter naturam à naturali temperamento totius corporis atquè membrorum eius Gal. 3. Art. medicin. prim. de dyspnea, & huic alludit Princeps 4. pri. cap. prim. exponens vt facilè cognoscere possimus quali proportione medicamẽta sint ęgroto corpori communicanda cum in illa proportione quam temperatura habet prę ter naturam ad naturalem ęgrotantis intemperiem eadem medicamenta simul proportionari debent, sic nobis ex naturali temperiei dignotione perpalam clarescet qui morbi sint naturæ ęgrotantis proportionales & qui non, sic inter patritios Aegidius Tonolus in consilio ad Medicos Patauij pro Illustrissima Comitissa Thadea del Verme. Gal. 2. aph. com. 34. Hip. in aph. videlicet in morbis minus periclitantur &c. Magatus in lib. an similia

simi-

ſimilibus confer. Ex his ergo ſatiſsime publicatis ad naturalem temperaturam Illuſtriſsimi Palleoti.

Talem iudicaui ſecundum tamen limites naturæ endeleticos totius calidam ſiccam bilioſę complexionis à prędominio, à ſubdominio verò ſanguineæ. Iecoris in actiuitate calidi in paſsibilitate ad ſiccum inclinantis humidi tamen portiuncula mitigati, cerebri quidem calidi ob iecur non ſolum nimis quantè effumans quantum à natura, humidi autem & etiam per Idiopatiam, & ſympatiam vaporum, & humorum ad ipſum communicatorum ſtomaci frigidi in actiuis, in paſſiuis autem ad humiditatem declinantis. Vt Pathagnanomica veritatem amplectentia teſtabantur totius complexionem calidam metrica ſenſus tactus regula. Gal. 2. complex. ſic Illuſtriſsimi viri corpus cutaneum tactu calidum etiam dum proſperè fauſteque viuebat, pinguedinis carẽtia, ob caliditatem enim materia pinguedinis conſumitur Auic. 2. fen. primi can. Gal. loco ſupra allegato, color albeſcens rubeus clarus, venæ amplæ capilli ruffi nigriſcentes, pilorum moderata copia. imò quia in paſsiuis ad ſiccitatem tendebat ſic tẽperatura erat gracilis Gal. 2. art. medicin. Vlterius dixi bilioſæ complexionis quia coniuncta caliditate ſiccitati in humoribus efficitur bilis: Verum licet eſſet ſiccum in toto, tamen quia qualitas paſsibilis ſiccitatis non erat cũ portento exceſſus ſic tangibile non ità ſiccum aſperum ſe oſtentabat non poſtpoſito quod efflabatur à zephyro iuuentutis cum ſanguine ſubdominante qui mediocrem nec minus gracilem cognoſcit temperiem. In ſimile ſe adducebat iecur complexionis calidæ, pro teſte veritatem huius coluit 2. art. medicinalis Pergamenus Dictator, confirmauerunt pluries Montanus, Saluus Sclanus, Acachias, Roboanus, Pluſquam commentator, inter recentiores noſtros Archiatros Antonius Maria Zucchius Parmi-

Parmiplacentinus in tractatu de temperamentis, & si typis non impresso perdigno tamen pro publica vtilitate in publico hominum Theatro publicari. Vt indicantia corpus calidum ob sanguinem ab hepate manantem ad circumferentiam, insignis venarum amplitudo, & extrà positio ob caliditatem dominātem in generatione membri, ex Aristot. enim orta attestantur sua principia, venter & hypochondria hirsuta. Siccioris verò naturam testabatur cum humiditate tamen mitigati. Sanguis parcior crassus venæ duriores, & totius corporis habitus siccior sed non ità quantus sicut si esset qualitas sine humido: Quod pertinet ad Cerebrum nullus est nescius Illustrissimum virum calidæ & humidæ temperaturæ esse præditū, veris signis non erant Apollinis oracula aut sybillæ folia veriora sicut vero verius astruebat experientiæ notitia. Capilli recti subflaui nigrescentes, partes circà oculos calidiores cum venis magnis, capitis repletio & aggrauatio à calidis, ab humectantibus vero multo maior excrementorum prouentus mox accedens vt ab austris notozephyris, sicut non minora naufragia à frigidis siccis vt à septentrionalibus trasciozephyris, Vigiliarum longarum impotentia, somnus grauis interruptus vigilijs, & somnijs imaginationum plenis, color in parte capitis clarus. Gal. 2. art. med. non tamen optimus sicut in temperato sed ex albo, & rubeo permixtus non immunis ab aliquo palloris ad luteum vergentis gradu, facilimè tamen semper fuit lęsus ab vtraquè qualitate actiua, quia de facili erat receptiuus impressionum vtriusquè propter raritatem ob quam citò penetrabatur à calido, & frigido sic Gal. vt veracissimum veritatis exemplar. 2. art. med. testatus est. Quod spectabat ad stomacum præmebatur onere, & discrasia frigida sic optimè semper appetiuit, coctio imbecillior reddita est præsertim ciborum difficilium

coctu,

coctu, sęppè ac sepiùs ructus euomebat acceſcentes gaudebat potu frigido, ſed ab huius immodico vſu, & externis frigidis prompta lęſione. Siluius in meth. 6. lib. gal. de diff. morb. cauſ. & ſympt. Galen. de art. med. Sen. de temp. Inquantum ad cor non allaborabo multis verbis & intempeſtiuè laſciuire, luce enim meridiana clarius eluceſcebat calidum & ſiccum. De hoc ſatis grauia teſtimonia certiorabant pulſus magnus velox & frequens, reſpiratio magna velox frequens, præceps animus, iracundia, non mores tyrrannici cū ab humido hepate compeſceretur ſiccitas, promptitudo ad actiones ſic Pluſquam commentator. Galenus de temperat.

Nec eſt pro veritate euertenda quod nonnulli in me ſibillent Zolli, video enim, & cognoſco virus obtrectationis in dies contra me à quibuſdam Artis Abecedarijs latius ſerpere, & lęthalius reddi quod latitudo venarum non indicat hepatis caliditatem, venæ enim à ſemine, iecur autem à ſanguine & quod quidem poſt genitas venas ſuos habet exortus vt Parenchima, & ſtebe venarum, vnde cum venæ non oriantur ab hepate, non indicabunt hepatis temperaturam. Vlterius quod multa corpora inueniuntur pilis repleta ſecundum totum ventrem & ſecūdum omnes partes infernas in quibus non obſeruatur in hepate caloris exceſſus pathagnanomicum quod pili non ſunt indicatiui caliditatis totius, & vltrà quod multa vſque adhuc gratis tantum fuere dicta, ſed non probata ſicut alia Galenicæ doctrinæ oppoſita, His enim non reſpondeo reclamat enim longè lateque à mea intentione directa tantummodo partes agere pro vt in hipotheſi, non autem hac vice ſecreta ex ſecretarijs doctrinarum abdita eruere & maximè his temporibus cum à ſerijs occupationibus ęgrotantium ſum feriatus, tum quia dante Deo, & poſtulante occaſione in harenam docentis aſcendam,

omnium

omnium difficultatum anchoram ad vires solutam, Vela veritatis ventis permittam. Interim linguæ sauciantis susurros improbos penitus negligo. Contemno semperquè contempsi. ineptias maleuolorum & vt nugas verè cognoui abortiuas. Frontes ad exemplum Archigenis Athensis non metui nec metuo catonianas, & tandem tantum abest vt Inuidorum morsicationes me ledant vt ipsas quoque nescio quo pacto penè mihi ceu blanditias commendem. Sed ad quid debacchare circa hos spinosos sophistas, & maximè quia horũ sum perfuga & hostis?

CAPVT SECVNDVM.

In quo explanantur morborum atque symptomatum essentia cum suis causis Illustrissimi patientis.



Erculea audacia Galenus Medicos siculos admiratus est teste Podalirio Fanestri, à prima enim die non cognito morbo cum suis accessorijs subito ad remedia properare celerrima, Monstrũ prorsus imò scelus inexpiabile ponderatum à dicto Podalirio, non minutula lebecula, sed maximè & quidem inelüiabili expiata ab autopsia hinc prima Methodi Galenicæ pars Dignotio videlicet considerari debet. Dignotio enim essentiã Pathematis curandi respicit, hinc exactè primo à Medico cognoscenda, aliter Artis medicæ ludibrium & error apparebit. Gal. prim. de crisib. c. 16. & 20. Prim. de rat. vict. acut. com. 3. & prim. art. curat. ad glauc. c. 1. Dignotionem verò assequetur medicus si affectus curandi perspectam habebit notitiam tum quo ad

essentiam tum quo ad existentiam. In essentia considerantur Idea speciesque morbi cum suis causis coniunctis antecedentibus procatarticis. In existentia quæ essentiã consequebantur magnitudo scilicet morbi, motus, mos & euentus cum suis accessorijs sic Anton. de morb. c. 3. Gal. 3. de crisib. c. 3. & primo de rat. vict. in acut. veritatem diplomatis autorizat com. 3. neminem ad curã morbi se debere accingere ni prius cognouerit ipsum. Quecumque enim ipso morbo ignorato ipsi ęgroto contingerint hoc à casu vel fortuna euenisse putãdum est. sic Gal. prim. de dyspnea. Princeps secunda fen. prim. & 4. prim. Per hunc articulum à lyceo medicorum sunt explodendi illi damnantes consultandi munus siuè explicitum siuè implicitum, in Phrenesi empirica laborant qui pro fugiendo consulendi munere inueniunt contra studiosos medicinæ professores mera præstigia, meras imposturas mera mendacia, non lustrando intellectus diaffaneitate nullum inter omnia medicorum offitia esse illustrius munere consulendi, vt potè quo solo à doctis medicis indocti discernuntur qui nõ secus ac docti, Gal. & Hip. de rat. vict. tumescunt medicinam facere, sed pace bonorum cũ Hieronymo Fracastorio sicut noctua ad Solem ita hi caligant Homeruli. Perfuga enim consilij est dubius male cognoscere morbos, peius indicare, pessime curare.

Idea ergo affectus seu affectuum Illustrissimum iuuenẽ Palleotum deturbans fuit vt prima principalis morbus in intemperie calida totius corporis febris denominata, vt secundaria & concomitãtia febrem, diarrhea, dyssenteria tenesmos & tãdem intestini recti aperitio ob sphincteres ambos & leuatores musculos relaxatos vltrà exposita vt in notula assignata. Quid sit febris silentij velarijs inuoluam, vbertim enim & plena notitia Galenus mille locis intonauit descripsit. Febris putrida est intem-
peries

peries calida totius à vaporibus calidis e putredine humorum excitatis, & cor prçter naturam calefacientibus. Essentiam caloris denudabat in patiente respiratio magna velox & frequens, item pulsus eidem coniunctus celer & frequens, esse autem de genere putridarum pulsus inequalitas inequalitate sistematica, insignis mutatio vrinæ prçcipuè ad crassitiem & rubedinem, calor mordax cum alijs, & vt in facto rei testabantur. Talem autem putridam esse continuam, tempus durationis continuum, absentia rigoris in Illustrissimo viro denudauit, & licet in continuis quidam rigores peruices se patefaciant, quando multa est materia ad intra cum virtute expulsiua forti, vnde quædam portio ad lacertos, & musculos expulsa faciens rigorem vulgares decipit Medicos, famosos autē ni somno sint sepulti, vel mero curarum sopiti non terret. Vlteriùs quia febrium putridarum continuarum quædam sunt proportionatæ quçdam verò continentes çqualitas in gradu caloris tonico prçter naturam persistenti, cognitionis nitori ostentauit vsque ad vndecimum diem caunma continens non homotonum, paracmasticum sed eparacmasticum, post autem vndecimam quia exacerbatio per vices & maximè alternis diebus excruciabat sic de continenti in proportionatam commutatio. Interim an naufragæ & maleficæ qualitatis esset associa (præter id quod similes tunc vagebant febres indicatiuum sumendum, vt lib. 3. aphor. com. 20. lib. 4. aphor. com. 54. iuxtà enim temporis rationem multi morbi lib. de septimes. partu) signa superius exposita tum ex parte vrinarum, pulsus inequalitatis & aliarum actionum tamquam luce clariora, omnem dubietatis caliginem mihi discusserunt. Gal. 9. simp. de terra samin. Antonellus de febre put. c. 4. & hæc pro Idea affectus principalis.

· Ad quam autem febris Ideam constituendam fuerit

 origo,

origo, cum nihil siue causa fieri vniuersæ Philosophorum & Medicorum contendant scholæ sic Plato in Timęo Aristot. 1. de Physic. auditu Gal. 1. meth. med. sitquè hoc Galeno auctore axioma Medicum & pręcipuum vt quo non concesso nullius aut lesæ aut amissę actionis nulla aut sanitatis aut morbi ratio constare vspiam posset concidereque vniuersam artē esset necesse. Confirmat hip. lib. de Arte lib. 1. de morbis muliebrib. Gal. in deff. medicis lib. 2. de fac. natur. cap. 9. lib. 4. meth. med. cap. 3. Congruere sanè videtur vt explicata febris Idea de causis in Illustrissimo viro habeam. Causæ cū proximę tum remotæ fuere. Proximæ omnes referuntur in fuliginem siue vaporem putridum exustum malignum cordi impertitum non in corde generatum, sed extrà propè tamen Gal. pri. de diff. feb. 5. Remotæ sunt internæ & externæ. Interna duplex apparuit perficiens, & coadiuuans, coadiuuans ætas iuuenilis cum temperamento si non à prędominio saltem cum aliquo subdominio sanguinis perindæ calidæ & humidæ naturæ, sic ad tales discrasiaticos affectus procliuis & putredines & prauas qualitates &c. 8. meth. c. 7. Quod spectat ad perficientem cum Zacchia, & Capiuat. de febrib. cum acutissimo Claud. de ingres. ad infirmos consideraui vel vt agentem vel vt lædentem, vt agentem ponderaui determinatam in specie quàm denudabant tamquam putredinis seminaria caccochimia biliosa pituitosa maligna putrefacta sicut ex excretis per aluum & vrinis, lippis & tonsoribus apparuit sic Gal. 2. de diff. feb. vt lędentem secundum vitia putredinis quantitatis qualitatis & vbi. Putredinis inquam & vehementis cuius notæ insignis calor non quidem in externis, sed internis, linguæ intensa ariditas, & scabrities pulsus & vrina vt supra publicata sic Claud. de Putr. in resp. medicinalib. Quantitatis & qualitatis euidentissima dabant indi-

indicia tempus durationis continuum, & discretum tum quo ad morbum principalem tum quo ad minùs principales, vltrà caliditatem humorũ crassitiem vndè obstructio, & prohibita transpiratio Antonel.de feb.cap.3. hinc putredo: Causa enim putredinis agens cum nulla sit alia quam calor insignis corrumpens cognoscit tamquam suam causam prohibitam transpirationem 11. meth.4.1. de diff. 4.factam ab obstructionibus seminarij cacochimici atquè etiàm ob crassitiem, & lentorem humorum Gal. 9. meth. 1. tertio de san.tuend.cap.10.& tandem ne in interna perficienti non agenti, sed lædenti, & vitium vbi sicco calamo prętermittatur, locus Mineræ medullitus fuit apertus, non quatenus cum alijs modis excruciabat, lędebat, inuadebat in quantitate qualitate & motu, sed distinctè vt putrescenti focus putredinis nominatur non in corde vt in febribus pestilẽtibus, non in venis medijs quę immediatè subsequuntur magnas, per Antonellum enim de febribus malignis cap.3.continuas tantum proportionatas generant, non venas capillares totius corporis circumferentiæ ambientis, per citatum enim auctorem de febrib. Intermittent c.9. focus in his intermittentes producit febres, sed dictas motiuas prout materia de vno loco ad alium transmittitur, sicut quiescentes per detentionem materiæ absque illius motu vt quando venæ hipochondriorum sunt materiæ cacochimizantis, tumentes pręgnantes putrefactæ: Sed quidem venę magnæ inter alas & inguina, quod ne verbis veritatis vericinium inescam, attentè cõsideranti tamquam in tabula erit perspicuum. Interim de causis externis remotis, errores in rebus non naturalibus, in viuendi modo, in motu & laboribus bellicis, in mora solis ardentis & maximè tali tempore quia syrius ardebat, & in loco varijs humiditatibus pleno qualis situs Cremonæ palustris hinc habitantes, &

ipsi

ipsi putridis malignis infestari patet & increbescere, quãtò magis exteris inassuetis sic Hipocr. lib.de aëre locis & aquis Gal. com. 1. ad primum, de morbis vulgaribus hip. super textum in phaso com. 3. ad lib. 3. aphor. lib. primo aphorism. com. 12. lib. 2. aph. com. 34. lib. 8. meth. & c. Superadditur cum Saxonia quod bellum est morborum labyrinthus, Herculanus & indissolubilis affectuum nodus,& vinculum tot Mçandris infaustis obuolutum,vt ab hoc tamquàm ab equo troiano varia semper & maiora emanant excidia.

Pro quorum vericinio en quod à febre pullularunt in frontispicio Diarrhea, Dyssenteria, tenesmos & tandem musculorũ spincterum cum leuatorum relaxatio hinc ani aperitio. Si horum formalitates subiecta, & causas efficientes adamussim describere vellem in Illustrissimo viro certè cum Poeta Delphinum syluis appingam, fluctibus Aprum. intus enim & extrà lucescebat quod intestina vt instrumenta per quæ egredi debebant excrementa secundum naturam principaliter primæ, minùs principaliter secundæ,& tertiæ coctionis prout à causa morbifica interna erant deprauata ipsorum retentio lędebatur expultrix stimulabatur præcipuè ab ichoribus biliosis cum materia pituitosa sępè, & alijs associata secundum vitia putredinis quantitatis qualitatis & vbi cum à toto præcipuè ab hepate calido sicco. hinc Diarrhea. propter autem vehementiorem modum causæ morbificæ venis intestinorum irruentis tum superioribus cum inferioribus & erodentis, soluta facta fuit vnitas hinc Dięresis 5. de locis aff. c. vlt. lib. 3.de caus. sympt. c. 2. lib.5.meth. cap.2. De superioribus testabantur sanguis cum fecibus continuus per vices annexus, inferioribus autem supernatatio & discretica mansio & tandem cum Galeno 3.de caus.sympt.c.2. Tenesmon in vndecima non solum sed & ani & intestini

ape-

aperitio. Tenesmon denudabat assidua per aluũ deiciendi cupiditas cum dolore in qua vel nihil in Illustrissimo iuueni vel pauca mucosa, & cruenta fuere deiecta. ni fallor enim cum intestini recti actio sit excretio & præcipuè in extremitate vis illa vigeat, quotiescumque vis illa in hac parte stimulatur deiciendi desiderium, ac conatus excitatur & si sępè inanis: excitabat hanc partis tensionem non bilis flaua licet maximè stimulet, ob tenuitatem tamen & lapsum parti non adhęret, rarò hanc passionem inducens, sed quidem exulceratio eiusdem intestini ob humores acres & salsos cum aspiratione intemperiei frigidæ contractæ ex sessione in bello super humum frigidum hinc nõ solum Tenesmi concausa, sed etiam musculi sphincterum & leuatorũ reserationis Aui. quatuor enim cognoui ani musculos videlicet sphincteres tãtum duos, sicut totidem leuatores. lasciuiant impijssimis blacteramentis postea quid quid velint quidam nouelli anatonici nouas musculorum ani demonstrationes seu potiùs nihilationes auspicantes. hi enim & si verborum lepore & experientiæ cumulis tentent assurgere (vt Syluius citauit principio suæ Anatomicæ fidelitatis) noua monstra varijs auctoritatibus adumbrata, suorum tamen illecebrosis dictionum laqueis nil aliud inueniunt, inescant, alliciunt. quam figmenta, falsitates, inscitias. horum errata & mendas abstergit Vessalius, eluit Andreas Laurentius his verbis quia homo erat animal politicum ad contemplationem & actionem natum, non oportebat primum cibi ingressum, & postremum exitum esse perpetuum vt in plantis, sed ex eius arbitrio pendentem, vt ergo in ore & faucibus musculos deglutioni dicatos locauit Natura, ità ad finem recti intestini musculos apposuit viam intercludentes ne inuoluntaria fiat fęcum excretio quatuor ergo sunt ani musculi sphincteres duo & leuatores totidem. Sphin-

&terum alter carnosior est ab inferioribus vertebris ossis sacri ortus, & instar orbicularis anuli fibris transuersis, recti intestini extremo implicatus, auum ità occludit vt excrementis nullus pateat aditus. Alter cutaneus est & meo iudicio nihil aliud videtur esse quàm cutis indurata carnosis fibris texta. leuatores duo sic dicti quod anum relapsum reuocent lati sunt tenues non admodùm carnosi, oriuntur ex lateribus & internis partibus ossis pubis & Ischij vel potiùs ex ligamentis à coccyge & ischia prodeuntibus, indè ad suum quisquè latus deorsum protensi rectum intestinum amplexantur externæ ipsius tunicæ inserti. Non immeritò ergo sed causatiùs istis in Illustriss. viro laxatis refrigeratis ab ani aperitione & euidenti fuit nubilatus, & maximè impellentibus causis superiùs euulgatis.

Quod spectat ad alia accidentia enarrata, vt in cedula & notula descriptiua Facti rei, sicut à quibus & pro quibus originem habeāt paucis agere volo, indecorum enim est bonas temporis partes huiusmodi ineptijs consumere & maximè quia omnibus sunt in professo, in aperto, in confesso.

Solum (per trāscennam) quid pulchrum publicæ tradendum veritati, cum enim Illustrissimus vir tantas substantias albas muccosas excreuerit deindè pinguedinem & ramenta intestinorum cū sanguine quid sit illud muccosum, sicut quid sint ramenta & pinguedines intestinorum in Dyssentericis ecce: Negotium profectò audax; Difficillimum certissimè facinus. Prouincia consideranti benè ità indissolubilis itàvt nec enigmata Theobuliæ nec tenebræ lyccophontis sunt tot Mæandris gyris obuolutę. Crediderunt quidam ex antiquis cui & recentiores multi aspirant mucosum illud & album esse pinguedinem intestinorum, alij mucum cognouerunt affirmarunt quo tunicæ

tunicæ tum externæ tum internæ intestinorum pro feliciori excrementorum aditu obliuiuntur, quo ne intestina exquisitissimi sensus ne ab internis & externis iniurijs tam facile afficeretur, ob obiectum continuo irritantem, interiorem tunicam pingui concretoquè humore obliuiuit natura vt & leuitate obtunderet, & crassitie prohiberet acrimoniam, & lubricitate promoueret bilis descensum; supradictas opiniones planè rident ac illudunt nonnulli alij humores pituitosos catharitios, quidam verò purulentos affirmantes sic molestis questiunculis vsquè adhuc Medicinæ cultores & fallaci verborum gannitu opiniones fictitias, fucatas, vmbratiles perdubias exposuere. Horum inconstantiam obseruant non solum Antonellus, & Senectus dedyssent. Sed etiam ante illos primarius totius Italiæ Archiatro Constantius Scotus Bononiensis non solum in publica harena, sed etiam in quibusdam scriptis, & si quod ego sciam typis impressorijs nondum excussis, & primo quod non sit pinguedo ecce: Intestina enim cum Antonello & supradictis omni intus pinguedine sunt destituti, & dato per hypothesim, non pro indulgendo ad autopsicam experientiam contrarium ostentantem, sed ad quasdam Excellẽtissimos quod quędam pinguedo adhęreat, demus etiam hypothesim & cõcedamus casum, quis per Deum immortalem in animum queat inducere, credere, sibi persuadere mucum illum tanta quantitate excretum ab Illustrissimo Palleoto exeuntem in alijs vsque ad viginti triginta & adhuc magis libras pinguedinem intestinorũ nominare. Res profectò iocosa, & risu digna catoniano, imò si tota totius corporis pinguedo, & sensibilis externa, & insensibilis interna ad intestina erueret vix imò impossibilem produceret quantitatem. Sic eadem de intestinorum mucco argumentandi currit sifonia si enim casu etiam cõcesso quod

 omnia

omnia inteſtina tam tenuia quam craſſa fuiſſent vlcerata abraſa quod poteſt eſſe ex ſuppoſitione poſſibili vt in logicis non autem actuali vt in Phyſicis numquam enim fuit perauditum, tanta tamen quantitate nec continua nec diſcreta, & per tantas temporis longi ſuppetias excerni poſſe incredibile eſt. Sic etiam ridiculo & in falſo educata agro eſt illorum opinio mucum illum eſſe humores catharitios pituitoſos aſſerentium. Comprobat inter alios tale aſſertum cum viginti rationibus ne ſuis deſtitutum ſit patrocinijs idem Antonellus de Dyſſenteria Seuertus lib. 3. part. 2. ſect. 2. Vltrà quod dyſſentericum pathema cum non ſemper fiat à pituita, imò plures alias cognoſcat cauſas ſine vitio ſubſtantiæ pituitoſæ nec vt principalis, nec vt conditionis ſine qua non, nec vt coadiuuantis, imò ſolum flauam bilem, atros humores feruidos ichores, per vices vitellinos multoties porraceos praſſinos eruginoſos, in patientibus nec à prędominio nec à ſubdominio pituitoſis, quia tamẽ & in his à dyſſenteria correptis mucus copioſiſſimè educitur hinc talis opinio vt falſitatis famelica à Theatro medico eſt explodenda. immò vt tantã veritatem grauitate autopſica & experientia ſyncera poſſim intertexere Factum rei ſplendicauit in Nobili Capitaneo Vincentio meo Patre temperamenti in totũ à pituitoſo alieno, qui tamẽ afflictatus duodecim abhinc annis à dyſſenteria per ſexaginta dies nullam mucoſis excretionibus quietem intermiſſit. Totius graue teſtimonium exhibebit Lucas Taxus Medicus eruditorum optimus, & optimorum eruditiſſimus.

Pro ſolutione ergo mea ſit opinio (faxit De⁹ bona) quę vt veritati facti non turbæ practicorũ ſit reſponſura prius Anatomen non vniuerſale, ſed particulare inteſtinorum prælibandum, & in fronte quòd inteſtina ſunt partes corporeæ concauæ oblongæ rotundæ à profunditate ſthomaci

maci

maci vſquè ad imum podicis ſe dilatantes, pro ciborum coctione, (per Gal. enim inteſtina ſunt ſthomacus elongatus) illorum diſtributione ad iecur, pro fęcum expurgatione, ſic natura Dędaleis labyrinthis & flexuoſis gyris implicita fabrefactauit. hæc habent tres tunicas, cōmunem vnam & duas proprias, relinquo fibras ſubſtantiam compoſitionem ſitum motus ſicut neruos & Arterias ſolum expono quod venę inteſtinorum à Portę trunco & ramo meſſenterico omnes emanant, ſicut arteriæ à ramo celiaco & meſſenterico efferuntur, ità autem diuaricantur vt recta non hient eorum oſcula ad cauitates inteſtinorum, ſed obliquo ductu inter duas tunicas ferantur cum ſurculis quaſi infinitis, hinc fit vt non rubeat permixtione ſanguinis chilus in inteſtinis Laurent. lib. 6. Anatom. cap. 12. Statuo ergo hanc materiam eſſe pus non verum, ſed ſuo modo & quaſi ob ſimilitudinem ęmulum alterius humoris inuenti ab Excell. Farnelio, & ne planè ab aliquo betizanti Ariſtarco hęc opinio habeatur in ludibrio denudanda cum Excellentiſs. Valerio è Mondulpho in tract. de putredine quod pus duplex eſt aliud verum quales in inflamationibus, & abſceſſibus ab efficientibus factum tum à calore natiuo conſeruante cum ab extraneo corumpente in pugna neutris & ęqualibus & vtriſquè ſuum finem aſſequi in materia apta conantibus, Aliud ſimilitudinarium & hoc diuiſum in pus perſe, & in pus per accidens. Perſe quando ſe oſtentat excrementum inſtar puris, ſed non verum pus & generatum ſiuè factum ex ſe ſine admixtione alterius aſſocij purulenti veri, ſed tantum à partis mala diſpoſitione cum ſanguine affluente vt ſi accideret quod partes neruoſæ eſſent lęſę hinc ipſarum calor natiuus labefactatus & impotens fluentes coquere humores non ne apparet magnā ſaniem tunc temporis exire? Non ne pro vt parenchimata ſeu

partes pręcipuè ſpermaticæ ligamentales male ſe habent & his affluentes puris ſimilimos humores emanare? Idē auctorizat tamquam fidele ſancitum vterinus fluor ſeu menſes albi qui ſoliti coloris non ſolum, ſed etiam ſubſtantiæ obliti ad tempus ſolitum effluere negantes in ijſdem venis vteri etiam in multis,& ſi optimi tranſmiſſi per vices ibi hęrentes conuertuntur ob partis alterationem, & vteri diſcraſiaticam indiſpoſitionem in materias mucum purulentum ęmulantes. Similitudinarium per accidens cum illud pus quando materia ſeu puta optimus ſanguis ad partem aliquam tranſmiſſus ob deprauatam illius corruptionem puta vlcus adiunctum cum pure ob contactum cum materia purulenta coinquinatur, hinc ſuccedit & aliud pus quod non ſolum naſcitur ex vlceratione corumpente & putrida membranarum ſed etiam ob affluentes humores & ſanguinem ad illam partem,qui aſſociati cum pure ſuppureſcunt iuxtà illud quod tangitur à putrido putridum fit, nulla etiam partis diſpoſitione concurrente. & ſi per vices etiam naſcatur ſine vlcere vt de pleuritide, peripneumonia & muco ophtalmię elucefcit hinc pro coronide,non vt nouam agam opinionem, ſed tantum vt propenſus pro veritatis patrocinio. Concludo Pus hoc non eſſe verum pus, non enim inflamationis,& veræ materiæ ſuppuratæ abſceſſuum ſigna ſe oſtentant,ſed tantum pus ſimilitudinarium & non ſolum per ſe ſed etiam per accidens. Perſe collucet prout inteſtina membranoſa vlceribus plena in his ob infimitas venas & arterias ſanguine copiosè tum pulſo ſuſcepto cum attracto & non poſſit materia alimentalis,& ſanguis pro partis diſcratica temperie totus in ſubſtantiam ſimilem conuerti, in materiam ſicut partis requirit diſpoſitio cōuertitur, (orta enim per axioma Phyſicum teſtantur ſua principia non ſolum in fluidis corporibus naturalibus,vt

ver-

verbis Auicennæ vtar, sed etiam in excrementitijs hinc membranosis intestinis vlceratis & sanguis in illas partes vlceratas effluens dispositiones partium adipiscitur; testantur hoc pro veritatis splendore non esse aliud quam quod propono vulneratę vel lesę partes articulorum iuncturarum tendinum ligamentorum, Idem vlcera vesicæ & vteri sicut etiam eædem partes non vlceratæ vt vterini fluores gonnorrheæ pro labefactata parte, vltrà quod sanguis venarum mesenterij natura sua videtur albescere sic in membranis facilior coloratur iuxtà Physicũ axioma in symbolis facilis est transitus. Merhercule quis in pallestra Medica & si in artis primitijs tantum educatus audebit testari excretionem illam esse mucum intestinorum, pinguedinem siuè alienam substantiam à mea supposita sententia deuiantem. Quis profanè & irreuerenter in sacro Medicinæ lyceo irrumpet ab vlceratione intestinorum siuè à substantia illorũ membranosa corrupta tantam copiam posse effluere? sic vt opinio adulterina explodatur vt legitima autẽ amplectetur, ni sanguinis enim fluxus associaretur talis copia non ostentaretur. Animauit hoc veritatis protipon experimentum Excellentissimi Syluij. si enim vltrà sanguinem à dispositione partis in puris similitudinem versum se ostẽtaret nullus huiusmodi dyssenterius bellissimè valeret, nullus pristinæ sanitati restitueretur, sed omnes certissima morte decumberent, materia enim illa siuè fuerit pinguedo siuè mucus intestinorum siue alia vt exponunt substantia, ob deffectum illius quanto & quali necessario peccantis, quomodo pro vita reparabitur, reuiuescet & stâte parte spermatica, carne destituta, & pauci caloris munita: Pro feliciori veritatis borea aspirat, & secunda diuisionis particula puris per accidens, ob deprauatam enim partis vlceratæ coruptionem pus gignitur, ob partis caliditatem, debilitatem

dolo-

dolorem & situm declinem sanguis magis recipitur, qui commixtus cum pure putridus fit ob physicum contactũ, hinc non muci non pinguedinis intestinorum, non catharri, sed tantum puris non legitimi sed nothi, non per se tantum quãtum per accidens veritatis specimen ostentat. Hoc negare est à rationis orbita aberrare, in veritate caligare, elleborizzare, & hæc pro primo quęsito dixisse satis.

Quod spectat ad secundum an in dyssentericis ramenta intestinorum tãta excernantur sicut an in eodem morbo portiones membranosæ ab ijsdem intestinis deciduæ appareant & à vulgo per experiẽtiam visum, medicorum omnes palestræ etiam credidere: Hoc ergo in dubium publicari tamquã cum æsopicis ludibrijs tamquam cum inconditis deliramentis in scenam esset assendere. Solum denudare mea cadit intentio quid sint illa ramenta intestinorum, sicut quid illæ membranæ quæ in dyssentericis tam pessimo cruciatu se ostentant publicari. Vsque ad hæc tempora tam veterum quam recentiorum medicorum monimenta volutans, omnes in hoc errore constantes cognoui, quod ramenta ex intestinis decidua, sunt partes intestinorum, quæ soliti loci naturalis oblitæ ob causas morbificas nimis abrasiuas mordicantes per aluũ excernuntur, demandantur. Pro virili parte conantur suum assertum deffendere cum auctoritatibus multorum antiquorum, sed specifice Gal. 4. aph. 26. & 6. de loc. aff. cap. 2. qui proponens varios dyssenteriæ gradus secundũ quos differentiæ eiusdem constituuntur, tres præcipuè cognoscit & hos provt intestina nunc magis nunc minus exulcerari patefacit. Primus horum graduum est in quo primum abraduntur & excernuntur adiposa & pinguia corpora exiguo cruore perfusa. Secundus in quo elucescit superficies interna intestinorum tenuis æmulatrix ramento-

mento-

mentorum membranosorum. Tertius in quo patefacit ipsa intestinorum substantia ex vtraque tunica constans & de hoc tertio gradu Hipocrates 4. aphor. 26. monuit si dyssenteria laboranti veluti carunculæ deiciantur lęthale, hoc enim est pathagnanomicum consummatæ, sicut primus & secundus gradus fientis dyssenteriæ; Vt Hipocraticæ, & Galenicæ legi schola medicorum tota tàm veterum quàm recentiorum non reclamauit, imò in hoc tãquam indubitatum, & veritate congenitum obdormiuit, & adhuc hæc opinio nugalis in somno esset sepulta ni Theseo Excellentiss. Arnoldi Neapolitani & Præceptoris mei ad vigilem veritatis portum esset adducta. Hic recitat experientias quatuor in eius libello inscripto de morbis intestinorum capite de Dyssenteria. Prima de Comitissa Hortensia de Bracifortibus ann. 1632. quæ à Diarrhea primò naufraga facta deindè à Dyssenteria magis excruciata, publico trium Medicorum consessu & adstantium visu per plures dies portiones latas crassas & longas intestinorum excreuisse, per vices maiores mensuræ sex digitorum, Pro huius curatione, omnibus Artis ab Excellentiss. Medicis Neapolitanis adhibitis tandem vitam cum morte commutauit, qua secta pro balsamizãdo eius cadauere, intestina fuerunt visa non graui vlcere saucia, non deperdita substantia obruta, non ob numerosas excretiones plagifera, imò quasi si nõ laborauissent inscia, licet medullitus & adeò elaboratè tota ab imo ventriculo vsque ad anum Argica luce fuissent lustrata. Hoc factum sapientem terruit vrbem. Hac experientia acuti obmutuere Medici, qui non modo certi, imò certissimi se credentes ex anatomica sectione intestina omnia videre abrasa (prout ex consultationibus omnes & confessi & concordes erant) lustrare illacerata, sensata magnitudine deperdita, & maximè ob tãtas excretiones

de-

demandatas, attamen vt monstrum dubium ex experientia autopsica, cognouere. Sic titubationis ansam fecit in multis hic casus & maximè pro eruenda sententia cõmuni hæc ramenta ab intestinis esse decidua, in alijs excitauit grauia pro veritate certamina, qui percupidi felicioris notitiæ, omnes mortuuos qui à similibus morbis & excretionibus fuissent vexati secare paciscerunt & eo subito quod à paucis temporis suppetijs cecidit experiẽtia secũda in quodam milite Vlysbonensi Maiestatis Catholicæ ibi Arcis Præfecto, huic morbo dyssenterio pariter laboranti, per multos dies acerbissime doloribus sęuis prosequto, tandem excreuit membranam crassam mensuræ Vlnæ spatijs scilicet in quantum vtraquè extenditur manus. Hic pariter mortuus & sectus nullam partiũ sensibilem apathiam, nec intestinorum deperditam substantiam conspexere. Tertia experientia se patefecit in muliere cuiusdam fabri ferrarij, in qua post puerperium à suppressione mensium oppressa, oborta fuere varia querelarum symptomata, pręcipuè vomitus sanguinei ob naturam sanguineã quæ soliti loci naturalis oblita varias querebat vias, & præcipuè stomacum, tandem post varia adhibita pręsidia tàm vniuoca, quàm analoga, (in morbis enim coronicis aliquando transcendere lineam medicinæ prædicamentalem docet Valeriola) vt videre est in historia, natura fibrosas quasdam portiones excernere cepit, aliquando ramentosas, per vices semen cucurbitinum ęmulantes sic vitam deguit hoc modo per tres annos mira medicorum obstupefactione, obsecto huius post mortem abdomine nulla intestinorum substantiæ deperditio fuit visa. Quarta & vltima fuit in alio eius patritio, qui ab epoto pharmaco dyssenteria correpto post sãguinem bile tincta excretum tandem crustas deciduas per duos menses aspectauit albas crassas aliquando, vt pedi-

culos

culos multoties vt quadrâtes nummos per vices vt nummos aureos,& hæc de experientijs Arnoldi.

Quibus sic statutis cognosco nouas opiniones euulgari prouinciam esse per difficilem, magis tamen vt scelus inexpiabile est falsitatem sub velo veritatis fucari,sic Plato in Thimeo. Scio noua inuenta mirifico oblectamento legentium ingenia afficere,nõ ambigo tamen in Theatro nouo ascendentes plures grauiori lapsu pręcipitare

Qui veteres linquit calles, sequiturquè nouatos,
Sępiùs in fraudes incidit ille suas. Ouid.

Non incidet tamen quos experientia & ratio inuitat, sic de hac re diligentius considerans non iudico semper tuta quęcumque in libris obuia sunt delineare, ac credula se prębere,sed in ratione prius & experiētia consulere, Amicus Plato, Amicus Aristoteles, sed magis amica veritas, & maximè cum experiētia duce, quam,quis negabit, vel indiget helleboro,vel op⁹ est baculo. Narrat Antonellus.

Pro conclusione dico ramenta intestinorum, quæ luci dat experientia dyssenterica esse mucosa illa excrementa supradicta in alio quæsito,quæ charactarem talis seu talium formarum in intestinis sumpserunt,de modis autem & vijs prout humores ad intestina confluunt,& recipiuntur præcipuè in dyssentericis, sicut & quomodo chilum crudum & sanguinem crudiorem attrahant intestina, nõ est,vt exponam, supra enim sat prata mea bibere, solum hic sine dubitatione dicam, pituitosos præcipuè humores seu crudum sanguinem in intestinis conglobatos, has formas adipisci, non autem à tunicis intestinorum erosis siue abrasis educi. Quapropter ne opulenta verborum supellectili videatur descripta tantum hæc noua opinio, validis, vt firmetur rationibus ecce. Partium aliæ spermaticæ aliæ sanguineæ. Illas numquam coalescere posse in publicis legibus decorauit Hipocr. sect.6.aph.60.

D Si

Si os, cartilago neruus, præputium præscindatur numquam coalescunt Pergamenus Doctor confirmauit in arte parua cap. 87. prim. de sem. cap. 8. & 10. Sanguineas verò, quales carnosæ, facilimè coalescere, & regenerari non minus compertum, quàm exploratum existit.

Nec est quod aliquis argutiunculus me molestis quæstiunculis obturbet posse scilicet, & de facto elucescere, spermaticas partes coalescere, nam cum illo, & ego aspiro vel medio homogeneo vel etherogeneo, dum modò & efficiẽtis imbecilitas, & materiæ dispositio inepta & partium siccitas non obstant, sic in pueris experientia notescit cũ parum absint à principio generationis, sic hi plurimo gaudent calore natiuo, hinc efficienti validissimo, materiæ spermaticæ copia citò ac facillime, & maximè aspirantibus spermaticis partibus mollibus trãsmuttantur. sicut è contra in adultis negatur, & ratio negationis in illis est imbecillitas efficientis, materiæ incongrua aptitudo, nec non partium durities, & siccitas. His silentij velarijs inuoluam, quomodo quædam corporis partes prima, vel secunda intentione coalescant. Secundo quomodo partium spermaticarum, aliæ sunt molles, vt venæ aliæ duriores, vt nerui, partes neruosæ membranosę, Intestina, aliæ durissimæ vt ossa, intelligentibus enim pauca sufficiunt. Solum vt redeam vndè sum digressus, non à tunicis intestinorum abrasis ramẽta illa esse decidua, sed potius esse excrementa mucosa attestor, quæ hanc formã acquisiuere. Intestina enim cũ sint, vel tenuuia vel crassa, si tenuuia cum à leui etiam vulnere saucia non coalescunt (vt dato vno per impossibile ad sanitatem, reddito possibili ad feliciorem gradum regula quæ à logicis nõ est probabiliter scientifica, sed exclusiua) quanto magis ab vlcere non simplici, sed multiplici, non leui, sed vehementer grauato, coalescendi splendicabit potẽtia. Sic

Gal.

Gal.lib.6.meth.cap.2. Hip.etiam 6.aphor.18. pingui forma aphoristicauit. Syluius de vulneribus intestinorum & ratio est quia substantia tenuuium est neruea, membranosa. Si crassa difficillimè etiam possunt coalescere in vulnere etsi leuissimo,in corpore nõ caccochimo sic Gal. loco meth.supra exposito, Vessal.in anat.de intest.Senert. in vulneribus intestinorum,Celestin. in sua Chirurgia de vuln. intestin.Fabrit. ab Aquaperd.Fallop.Magatus,Aurantius & omnes alij qui in Theatro Chirurgico floruere, colunt, adorant,& prædicant,vulnera intestinorum si sunt parua & sine deperditione substantiæ etiam in longitudine seu endeletica fibrarum crasi difficilè curari, si autem è contra incurabilia esse. Quomodo ex intestinis crassis vlceratis, vt in dyssentericis,nõ leui labe vt vulnus paruum, plagiferis, in corporibus à debita qualitatum simmetria discrasiatis, caccochimicis, cum continuo ad partes affectas præcipitio ichorum, & materiarum biliosarum,cum deperditione tot & tantarum substantiarum, vt in casibus assignatis,quomodo de sanitate possunt florere, triumphare patientes quibus tantæ excretiones,& ità perniciosæ se ostentauere. Sicut exemplizant Antonel. loco supra asserto. Daniel. 5.med.pract.lib. iij.part. 2. sect. ij. quęst.iij.multos huiusmodi Dyssentericos pristinæ sanitati fuisse restitutos,e proximis faucibus mortis euasos, enatatos. Quomodo veritatis scena collucebit intestina tam grauiter obruta saucia, deperdita coalescere posse & præcipuè quia in his calor efficiens est debillimus, tantum studens nutritioni & conseruationi, nequè effluxam solidarum partium substantiam perfectè resarciens, in his patet dispositio incepta, tota enim simul non affluit cum virtute glutinis, & seminis imò qualitatibus & amica temperie destitutis. Accedit quod intestina nõ sunt carnosa vt collum vesicæ,& similes partes,præcipuè

secundum cauitatem internam quæ vltrà quod arguunt caliditatis inefficaciam, partis etiam coalitum anteuertunt vacuumque non implent. His omnibus & siccitas & durities illorum accedens quæ enim sunt sicca difficile vnionem patiuntur, aqueo enim velut glutino vniuntur omnia. sic Arist.

Sed ab his ? audio tamen fastuosos quosdam & imberbes artis Medicæ primitios, qui cum arduis supercilijs, naribus retrogradis cum in vijs cum in plateis maximè in publicis nobiliũ coronis, grauitate vocis & vultus cõposita, quasi si essent interpretes ac arbitri oraculorum Apollinis siue Sybillæ ? audio hos verbis ampullosis & exoletis asserta mea, tamquam fabulosa, obscurare, tetris ignorantiæ, & falsitatis notis contrahere, imò ne verbosis nugis videantur meæ opinioni haud suffragari, venustant sua figmẽta fucatis ratiunculis pręcipuè quod causa coalitus cum nulla arrideat quam formatrix facultas & hęc omnibus partib⁹ ex veritate medica sit insitas magis tamen in solidis, quam in carnosis, cur si caro destituatur in substantia, carne repletur in vlceribus noua nõ solum, sed etiam suis venis, neruis & arteriolis, cur etiam partes intestinales tali non gaudent munere iuxta regulam Dialecticorum, si de quo minus quid de quo magis. Vlterius quod materia spermaticarum est semen non solum ad accretionem quam ad nutritionem & hoc copiosiùs in spermaticis, quam in carnosis, imò Gal. spermaticas partes vim seminis procreatricem possidere fatetur, cur ipsis vulceratis cum fomite formatricis & instrumẽto caloris natiui non coalescere possunt. Cur si cicatrix cuti intensè sauciatæ, vel vlceratæ obducitur, intestinis etiam accidere imò magis non erit concessum. Cur si in alijs partibus natura indulget cũ medio, vel homogeneo vel etherogeneo, vt cum callo intestinis etiam non possit

fauc-

fauere. Superadditur tot ac tantos à dyſſenterico pathemate cruciatos à tanto morbo fuiſſe ereptos. Quid magis Archiatria medica vſquè ad hæc tempora ab inteſtinis eroſis ramenta illa excerni, in hoc ſomno placidè obdormiuit, Galenus & Hipocrates æternæ hominum memoriæ hanc veritatem cōmendarunt coluerunt, adorarunt. His ergo & multis alijs tamquam aculeis pungentiſſimis tentabunt quidem nouam opinionem euertere, vulnera tamen hæc perſanare non erit difficilè & maximè quia de his omnibus ſat prata bibere Excellentiſſimi Arnoldi de partibus ſpermaticis. Sic ſilentij velarijs inuoluam, vltrà quod in aures ſentio inſurrare dictum Euripitidis melius eſt Pythagoriſſare cum bonis, quam epicuriſſare cum malis.

CAPVT TERTIVM.

In quo de Indicationibus, & de Prognoſtico Illuſtriſſimi Iuuenis.



SYluius Medicorum celeberrimus pro eradicandis morbis, & eorum conſequentibus in ſua Oeconomia Medici, quę & qualia medentem optimum venuſtare debent, primas habere ſedes, Indicationes, & Prognoſticum aſſeruit, non indicationes generaliſſimas tantum quātum ſpecialiſſimas & ſubalternas, non abſtracta tantum, quantum concreta methodo & rationali: Sicut enim qui tenet methodum rationalem, ex Gal. omnes medicamentorum actiuitates habebit, tamquam Imperator pro vtilitate ægrotantium

in

in Theatria medica coronabitur, e contrà qui certam medendi methodum non consequetur, de vtilitate patientium numquam gloriabitur, & si pro cibis lautos præberet Cleopatræ bolos, pro curatione saluberrima siccæ Arabiæ pharmaca, immò sine methodo remedia illa vt ignis accensus in manu stulti, aut gladius in manu furiosi lucescebunt. Sola methodus non leues efflat gloriolas ad Medicos sicut sine methodo mendas, culpas, & tãdem vituperia in his intonat fama. Per solam methodum rationalem cõsequitur habitus principalis effectiuus vtens indicationibus tamquam instrumentis ad inuenienda prophylartica medicinę remedia in quanto, quando, quomodo, & vbi agendum, e contrà autem variata syndrome symptomatum, & confusionis portenta, & cęcutientia prognostica, nec non & patientium Artis lethalia naufragia. Huiusmodi clarescunt Empirici qui pro suo instrumento demonstratiuo tantum sola gaudent experientia & Analogismo sine indicationibus, methodici autem rationales sola indicatione non neglectis tamen experientia & analogismo, immò vt necessarijs 3.meth.med. cap. 2. taliter adiudicat, sicut ad ambulandum duo crura, altero quorum defficiente, ambulantem claudicare est necesse. Rationales vtũtur indicatione in morbis & caussis non ità ignotis, experientia verò in essentijs non ità notis, vt in morbis totius substantiæ, Analogismo pariter cum nec morbi natura est satis cognita, nec aliquid vsquè ad illud tempus experta sit experientia, vt qui in morbo gallico primi vsi sunt Hydrargirio.

Quibus sic statutis, pro feliciori cursu sequendo rationabiliter indicationes dessumpsi curatiuas in Illustrissimo Iuueni, non laborando hic publicari quid sit Indicatio, patet enim quod est demonstratio Medici rationalis cuius indicationis principia sunt scopi indicantes, conclu-

sio

ſo verò eſt ſcopus indicatus qui ſonat, vt opus ipſum à Medico præſtandum: Silentio etiam contegam, an indicatio ſit prima, vel ſecũda, vel tertia operatio intellectus, ſicut quid ſit indicatio generica, ſubalterna, ſpecifica, & determinata vtilis, vel inutilis, artificioſa vel inartificioſa, curatoria, vitalis, vel præſeruatoria. Nube taciturnitatis etiam contegam, quænam ſint indicantia, & conditiones illorum, ſicut an ſint tria, vel plura contrà Capiuaceum, Vlterius ad quodnam indicantium debeant recenſeri, temperamentum corporis habitus, vires, ſexus, ętas, conſuetudo, vitæ genus, aër, tempus anni, locus, ſitus regionis cęli ſtatus, & tempora morborum, Nec verborum ſuppetijs deffraudabo conſenſum, & diſſenſum indicãtium quæ nomina ſint Coindicantia, Conſentientia, Contraindicantia, Prohibentia, Permittentia, Repugnantia, Correpugnantia & alia pro vt Gal. lib. de optima ſect. 40. Primo Aphoriſm. 9. 11. 12. 17. & 9. meth. 15. Indicationes ergò Illuſtriſſimi Palleoti variæ fuere, videlicet prout ſcopi multiplicati ſe oſtentauere. Non me latet vnum indicans quatenus vnum, vnum etiam indicare, ſicut etiam vnum ab vno tantum indicatur per Gal. primo meth. med. 15. de optima ſect. ad Thraſyb. 44. & ratio eſt quia in vno eſt vna eſſentia ergo per correlationem vniuocam vnum in indicãdo. Dixi vniuocam, quia vnum varia per Medicum philoſophizantem varia dico poterit indicare, talia tamen vel equiuocè vel analogicè, vt Capiuaceus acutiſſimè de method. meden. Vniuocè ergo quod noxium eſt debet à iuuabili expelli cum contrarietate ſiſtematica, ſic vnum vni tantum contrarium vnum ab vno expelletur, plura autem cum in vna eſſentia non ſint maximè quæ in ſpecie diuerſa, ſic plures formalitates ob multiplices naturas multipliciter etiam indicare poſſe philoſophia docet. Hinc quia in Illuſtriſſimo

viro

viro non tot formis Protheus gauisus est, quot morborum, ac symptomatum syndrome cruciatus fuit sic dixi ad scopos. Et primò pro febre vt putrida Alui lenitio, sanguinis euacuatio, succi nō sanguinei præparatio, purgatio, materiæ obstruentis minuitio, attenuatio, detersio, caliditatis putridæ refrigeratio, qualitatis malæ alexiteratio, putrescentis materiæ refrigeratio & exsiccatio, materiæ putrefactæ eradicatio, intemperiei calidæ consecutiuè humidæ refrigeratio humectatio, sicut pro virtute corroboratio. Pro Diarrhea, Dyssenteria, Tenesmo & ani aperitione scopi fuere multiplices. Pro diarrhea non sistendi in totum, erat enim motus in primis à natura consideratus pro depositione materiæ grauantis putridæ malignæ, dixi tamen in parte sistendi ob insignē virium debilitatem. Pro dyssenteria scopi fuere humores abradentes abstergendi, acrimoniam mitigandi, dolores leniendi, sanguinem, & alios humores ad intestina fluentes reuellendi, deriuandi, fluxumquè adstringentibus sistendi, Alexipharmacis malignitatem compescendi, vlcus mundandi, tandem amissam substantiam instaurandi, consolidandi. Pro tenesmo easdem intentiones semper habui vt in dyssenteria, solum quod magis partem affectam tentaui succurrere, abstergere acredinem humorum stimulantem, vlcera sanare, dolorem lenire, loci tamen affecti prius habita ratione, ne ab externis cum internis couulneraretur iniurijs. De Ani aperitione conatus sum proportionem partis custodire, calidum innatum fouere, imbeccillitatem roborare, intemperiem frigidam calefacientibus emendare, & si pro vt ratio suasit modò vnum modò alium ex scopis permutaui curatiuis. Idem & symptomatibus pro opportuna necessitate, & omnibus & singulis, ac simul vel seorsim sumptis applicaui. Interim occasione Illustrissimi Domini, si de indicatio-

cationibus magnum præbeo continentiæ exemplum, ſicut ſi nimis arctum & ſterilemago calamum, dedita opera feci, verborum enim turbam & vaſtā euomere in hoc reſponſo inconueniens adiudico, vltrà quod in meis cōſilijs Medico legalibus ſimul atquè dabitur otium non literis modo verum etiam iuſtis voluminibus pinguiori forma de indicationibus in genere, & in ſpecie dicam.

An autem Theſeo facultatis, & Artis Medicæ ſubiaceret hic Illuſtriſſimus Dominus tot morboſis labyrinthis, & acceſſorijs hydris circundatus, cum Gal. de conſt. art. cap. 18. 4. de præſag. pul. cap. 11. prim. ad Glauc. 8. ſic Maſſar. de febrib. cap. 13. lib. 3. de obſtruct. Tecoris, Valeriola de locis communibus. Antonel. de dyſſenteria Capiuac. & tandem cum omnibus tàm antiquis, quàm recentioribus, cognoui ex vehementia morborum, & aſſidentium, cum ex imbecilitate, & paruitate naturæ. Quod pertinet ad vehementiam morborum cognoſcitur, & ratione eſſentiæ ſui, & ratione partium affectarum, & difficilis tollerantiæ facultatis, ſeu facultatum totius corporis gubernatricū per Galenum locis ſupra citat. Idem de method. med. venuſtat acutiſſimus Capiuac. vltrà quod omnes Medici hanc diuiſionem tamquam demonſtratiuam, ſiue fuerint antiqui, ſiuè recentiores, inclytis literarum monimentis conſecrarunt. Quod ſpectat ad vehementiam eſſentię ratione ſui, tripliciter ponderatur, & primò ob morbos multiplices, ſiuè in vna eſſentia ſpecifica vniuoca, ſiuè in pluribus equiuocis, vel analogis, ſufficit tamen vel ad vnam, vel ad plures, quod fulgeat maximus receſſus à ſtatu ſecundum naturam ad ſedem præternaturalem, non in qualitate habitudinis, ſed habitus, licet breui etiam temporis intercapedine, ad contractionem enim habitualem, ſufficit actiuitas, & diſpoſitio, hinc huic, mirum eſt, quātopere arrideat Galen. mul-

tis in locis, quam impensè faueat Aristotel. Actus enim actiuorum agunt subitò in patientibus benè dispositis de Physic. audit. Accedunt secundo pro vehementia essentiæ, & causæ morbificæ peccantes in pluralitate spetierum, & causarum generantium, siuè intra, siuè extrà suppeditantium, sic mille locis de meth. medend. excellenter docuit Capiuaceus, sic Scarpius pariter in suo meth. med. similibus verbis, dixit, malum si causæ sint multiplices in spetie, siue sint hæc sanguineæ annexæ cum biliosis, pituitosis, vel melancholicis, peius si spetics sint comitatæ cum vitijs substantiæ, quantitatis, qualitatis, & vbi, pessimum si habent escam & fomitem causarum generantium, siuè intrà, vt dixi, siuè extra suppeditantium, & tandem tertio vehementia essentiæ se patefacit ratione symptomatum pluralitate, & vehementia affligtantium, & hæc siue sint in actionibus læsis naturalibus, vel vitalibus, vel animalibus, siue in qualitatibus mutatis, siue in excretis. de quorum vehementia aspectui publico committit idem Capiuac. in sua practica: Hip. 3. prognost. 8. 2. prognost. 56. Quod spectat ad vehementiam ratione partium affectarum, memoriæ patet quod hic morbus dicitur magnus, si in parte nobili, vel nobili inseruienti suas habeat fixas radices. & adhuc maior si in pluribus corporis particulis siue imperantibus, siue inseruientibus suas radicauerit plantas, sic Cęlestinus de vulnerib. Capiuac. in meth. med. Syluius lib. supra citat. immò non infrugiferum conferret adiumentum consideratio substantiæ duræ, vel mollis, temperiei calidæ, vel frigidæ, situs profundi, vel superficialis, partium affectarum quantitatis, Numeri, vsus conformationis, & actionis. Tandem quod pertinet ad facultatem tunc temporis morbus vehemens maximè diudicatur, cum facultas totius corporis gubernatrix siuè facultates non possunt tot sarcinas morbifi-

cas

eas perpati, ſic Galenus lib.de conſtitut.artic.15. & 16. 7. meth. 12. 4. method. vltimo 11. meth. cap. 3. Pro nunc, an detur facultas totius corporis gubernatrix, cui tamquam imperanti Reginæ ceteræ inſeruiant (vt opinantur multi) pro præſenti verborum ambagibus non proclamabo, dicam quidem quod ratione facultatum, morbus eſt vehementiſſimus, quotieſcumque facultates cum naturales, vitales, cum animales ſuis vicibus nō funguntur pro corporis tutela, immò à ſuis actionibus contra diſcrepant multum, plurimum à ſtatu naturali contradiſtant operationes ſic Daniel Senertus inſtitut. Medicin. lib. iij. part. iij. c.5. Capiuac.method. med. Scarpius vt ſupra, & hæc pro prima particula morbi à qua elicitur actus prognoſticandi ſyncerus. Quod pertinet ad aliam particulam neceſſariam non ſecundum quid, ſed abſolutè pro cognitione euentus morbi, facilè cognoſcitur, ſi ex collatione roboris virium & morbi habeatur matura, & attenta cognitio. Hoc & ſi luce ipſa ſit clarius Galen. 2. progn. t. 6. ſimilibus lineis picturauit, Summa (inquit) totius præſagitionis in morituris cōualitariſque eſt, quoties vis morbi cum ægri facultate conferatur. Pro ſimilitudine proponitur exemplum inſtar duorum ſimul omni virium connatu pugnantium, qui ambo, & honoris, & victoriæ percupidi, per dies perquè noctes duriter ſuam agunt vitam in pugna, certaminis autem ſpectatores (& ſi dubius ſemper in bello prædicetur Mars) ex concomitantibus tamen penes quem victoria debeat eluceſcere, perpectiſſimum cognoſcunt, ſic ex artificioſa virium, & morbi collatione inter ſe, & à Medico prudenti, & ſagaci prædici poteſt, vt à naturæ robore ęgrotantis ſalus, ex eiuſdem infirmitate, & morbi robore interitus, ex paribus viribus morbi, perſeuerantia illius, ſic Senertus inſtit. med. lib. iij. part. iij. cap. 5. Sanctorius in art. Med. Galen.

part. 2. Montanus in aphrif. Valeriola de locis communibus &c. Quomodo autem de morbi, & virium robore, atquè ex earum collatione de salute vel morte, in genere, & in spetie, cognoscendo, breuibus comprehendo, Claudinus de ingressu ad infirmos lib. prim. excussit, Senertus lib. supra citato clarissimè docuit, ad quos me remitto.

Quibus sic expositis, ne mea oratio quo styli cursum destinauit eo procedat, ecce? quid de Prognostico Illustrissimi Domini. Morbus non fuit vnus in statuto subiecto sed multiplex, non vniuocæ naturæ sed ęquiuocæ, non cum debili sed cum vehementi recessu à statu endeletico, non in habitudine sed in habitu, cum causis non infirmæ actiuitatis sed grauiter peccantibus, non indiuiuiduitate solius speciei, sed plurium spetierum, non vitij sed vitiorum, non causæ generantis sed multiplicum generātium, cum symptomatibus, & numericè, & vehemēter affligantibus, tum quo ad actiones, qualitates, & excreta, sic omnibus his complicatis cum Galeno, vehemētia essentiæ ratione sui in Illustrissimo Iuueni, & à fronte, & à tergo magis me semper deterruit. Secundò morbi, causæ, ac symptomata supradicta, vt in cedula facti rei, quia in nostro patiente, non vnica particula, sed in pluribus, non ignobilibus, sed imperantibus, seu his subseruientibus, non cum leui illarum discrasia, sed maxima, non cum solita conformatione, substantia, numero, & situ, sed cum illarum deperditione, diminutione, nec non etiam mutatione, non cum harum solitis actionibus secundum naturam, sed præter naturam, à capite ad calcem, euentum, infelicem, infaustum, velut si Throno Medico sedente, in templo Mercurij Aegyptij iudicassem, sum promulgatus; Tertiò & vltimò facultate totius, seu facultatibus totum regentibus imbecillibus in frontispicijs, in morborum progressu imbecillioribus, in statu imbecilli-

mis,

mis, collapsis, destitutis, non immeritò pathema disperatum publicaui.

Pro quorum vericinio, ne mea demonstrata videantur auctoritatibus grauium virorum orbata (& si à quibusdam Tyronibus hic modus comprobādi credatur vespertinus, ab alijs abortiuus, quod non approbo, immò pro explorato habeo) multis Hipocratis, & Galeni locellis asserta confirmabo, certissimis Medicorum insignium legibus corroborabo: Ad hoc autem vt hæc ordinatim succedant, auctoritates aliæ erunt circa principales in læsione, aliæ circà symptomata prout supra methodus fuit ordinata; Quapropter ex febre tenoris assignati Hipocr. de Coac. prænot. & mille alijs locis, ex febre continua cum virium imbecillitate si aluus eruperit mortale, auget periculum idem lib. de flatib. & de natura humana. Si à febre continua multi homines corripiuntur eodem tempore præcipuè cum alui fluxu assiduo, causam ad id quod communissimum est, & quo omnes vtimur referre oportet, si enim est aër, vel spiritus à principio lęthalis, manifestum enim est Diętam non esse culpabilem, grassari enim populariter cognoscit exalationem habere, & lęthale esse. Quod autem hic morbus in toto Exercitu grassatus sit, tritissimum est, potius enim hic morbus quàm gladius deterruit Castra, maiores in milites calamitates, quam Inimicorum Mars impius infusit. His omnibus assentit Galenus de diff. feb. com. 2. ad lib. de nat. hum. morbos enim quos fouet aër, maximè in subiectis aptis cum peccamine specierum, vitiorū, & causarum generantium curationem non recipere: Montanus in suis consil. morbos, quos bellum parit, graues, & exitiosos experientia docet, his equidem non solum trepidat pectus, sed & ab ęgris faucibus exudat grauis halitus. Mercurial. confirmat.

Quod

Quod spectat ad secundum, si morbo acuto qualis est febris continua, maligna, dyssenteria succedat, vt plurimum moriuntur, vires enim primo morbo absumptæ, ex succedaneo magis collabuntur, & non sufficiunt sustinere Senert. de dyssent. citant. Gal. Dyssenteria, si cum febre inuaserit, aut cum varijs alui deiectionibus cum dolore, vel siti mala 2. Prorreth. t. 29. Superadditur effusio puri sanguinis dyssenteriæ aduueniens mala, Aetius de Dyssent. Venas enim indicat maiores erosas. Si dyssenteria laboranti veluti caruncula deiciantur lęthale 4. aph. 26.

Quod spectat ad tertium Tenesmus succedens Dyssenteriæ continuanti pessimum Montan. in cõsil. de dyssent. cum tenesm. non immeritò Hipocr. 7. aph. 27. confirmauit. Si pręgnãti Tenesmus superuenerit abortus est causa. Si tenesmos leuia etiam symptomata secum trahat, malum, si autem vehementia, peius, si vehementissima læthale Antonell. de tenesm. Tenesmus cum sollicitatione assidua, molestis doloribus, cõtinuis vigilijs pessimè cruciari ægrotantes, Mercat; eundem morbum non veretur, Gal. recensere inter graues morbos 5. de locis aff. & de vsu partium: Puluerinus de tenesmo. Tenesmos qui à causa externa generatur leuis est, qui autē ab interna, quo maiori erit grauior sic periculosiòr lęthalis.

Quod spectat ad quartum si cum fluxu ventris, & dyssenteria, ac tenesmo fiat ani aperitio vix curatur Senertus Med. pract. lib. iij. part. 2. sect. 1. omnium periculosissima est intestini vltimantis aperitio, si fiat ab imbecillitate ressoluta musculorum sic Montanus nec non Arnoldus meus Pręceptor.

Quod pertinet ad accessoria, & maximè quo ad actiones lęsas, Vigilia si modum excedit malum 2. aph. 3. Pessimũ si neque interdiù neque noctu dormiat 2. prognost.

tex.

tex. 11.12. Dolor capitis assiduus in febre continua malum, Rhas. in Almansorem, Gal. in lib. de vrinis c. 5. Intestinorum tormina, & dolores dyssenteriæ succedentes mala sunt 2. Prorrhet. t. 29. Capiuacc. de dolorib. intestinorum, Magnus difficilis halitus malum est primo prognost. aphor. 24. si fętidus sit peius malum, significat enim putredinem Senert. instit. med. lib. iij. part. ij. cap. ij. Pulsus paruus, celer, frequens, malus, Gal. de pulsib. ad Tyrones, & multis alijs in locis præcipuè 2. de diff. puls. prim. de diff. febre. In morbis corpora facilè, & rectè moueri bonum, non verò rectè, aut difficulter moueri malum Aetius Tetr. 1. serm. 1. Hipocrates etiam huic alludit 2. prognost. t. 6. & 7. qui morbo vexatur facilè conuertatur sitquè ressurgendo leuis oportet, si corpus omne graue est & item manus, ac pedes maiori cũ periculo est. Inquietudo totius mala est, & maximè si varias decubitus formas desiderat sic Senert. institut. med. lib. iij. adhuc peior si in vno loco non quiescunt ęgrotantes, sed variè se iactant ac mouent, modò se attollunt, modò deiciunt, modo in latus, modo in ventrem, modo in dorsum decumbnnt, nec vllam figuram seruant Idem Daniel. supra loco citato.

Quod spectat ad excreta. Alui excrementa si liquida fuerint præstat vt sine stridore, neque frequenter, neque ex breuibus interuallis deiciantur, etenim fatigatur ęger, si crebro surgit, vigilijsque consumitur, quum verò affatim sęppequè deicit, ne animus eum deficiat periculum est. Hipocr. 2. prognost. aph. 20. Deiectiones in spumosas sincerasquè desinentes malum 2. prorreth. t. 15. Ibidem 18. In acutis biliosis albicantes spumosæ malæ, sicut 4. aph. 47. Excretiones in febribus non intermittentibus cruẽtæ, fętidæ, biliosæ, omnes malæ, & 4. aph. 21. quo colores ipsarum peiores plures fuerint, & sũt deteriores,

quid

quid autem portendat cruenta excretio supra explicatum est; Vrinam crassam reddere,& albam qualis est quę matellis diu stetit cum agitatur non subsidebat malum prim. epid.com. 3. in vxore Philini. Confirmat Hipoc. in vxore Dromeadai. Sudores pauci in febre non intermittente, sed crebri cum hippochondriorum affectione, vt plurimum maligno morbo laborant in Coac. aph. 32. Sudor autem optimus est per omnes acutos morbos, si per diem euenit decretorium, & Integrè sedat febrem cũ subsequentibus primo Progn. 26.

Quod qualitates in febribus non intermittentibus si partes externæ algent, internæque vruntur, & sitiunt læthale est 4. aph. 48. Nasus acutus, oculi concaui, adstricta tempora, aures frigidæ contractæquè, & fibræ earum inuersæ,& item cutis circà frontē dura, intenta, arida, & color totius viridis, aut niger malũ prim.progn. aph. 6. lingua quæ sicca est,& in eodem calore,& sicco permanet progressu etiam temporis exasperatur,& liuescit,& rumpitur mortem denunciat in Coac.aph.229. Ex manuum latione huiusmodi notas perpende in acutis febribus, in peripneumonia, phrenitide, capitis dolore, si quis eas faciei admouerit, vt indè quidpiam superuacuè venetur, aut festucas carpat, aut à veste floccos, aut à pariete paleas auellat, omnes hæ malæ lęthalesquè sunt; Et hæc prout in nota facti rei adamussim Prognosticum Illustrissimi Domini lęthalissimum non secundum quid, sed absolutè demonstratiua. Quibus sic feriatis caput vltimum aggredior.



CAPVT

CAPVT QVARTVM, ET VLTIMVM.

In quo de curatione morborum, & correctione symptomatum Illustrissimi Domini Paleoti.



Ostremum caput, quod in consultationibus Medicis, sẽsatus aggreditur Medicus est, quod respicit materias medicas quibus curatio ipsa perficitur, & ratio est, quia sicut opera in curatione à medico rationali præstanda, sunt cõclusiones indicationum sumptæ ex scopis indicantibus, qui sunt præmissæ, præpositiones, medius terminus, & per consequens causa efficiens, ipsa autem opera sunt veluti fines, sic instrumentis debet vti practicus medicus in curando, postquam talibus supradictis fuit factus compos, & sunt materia, & alia media inter agentem medicum, & patientem ægrum, hinc à Gal. 11. meth. 10. dicuntur materiæ remediorum, quæ instrumenta, siue considerata per se, & absolutè à medico pro curando, & conseruando, siue non per se, & absolutè, sed ratione ægri cum Cornelio Celso lib. prim. cap. 1. Gal. 3. de medicamentis secundum genera cap. 2. sunt diuisa in tres partes, provt materia, vel tale instrumentum est, Dieta, Pharmacia, & Chirurgia. De Dieta Gal. ad trasibul. cap. 24. 11. meth. 10. de remed. parat. facilib. De Pharmacia 11. meth. 10. prim. acut. com. 6. De part. Artis medic. cap. 1. De Chirurgia Celsus lib. 1. in proem. Gal. loc. supra citat.

Sed horum occasione, non leuiter me onerabit forsan aliquis inuidus, acriter proclamans culpam contradi-

ctionis in meis assertis, fortiter vitiosam culpam ignorantiæ huius capituli cum supradicto debacchans. In illo enim, non solum difficile, verum de necessitate absoluta lęthale fuit demonstratum prognosticum, in hoc autem oblatis remediorũ materijs Chirurgia scilicet, Dieta, & Pharmacia, quasi si sub ditione sanitatis subiaceret, euulgatur, quasi si in eodem subiecto inclusiuum, & exclusiuum sanitatis teste Aristotel. in lib. Posteriorum elucesceret eodem tempore, sed sicut calidum, & frigidum efflare eodem instanti temporaneo est impossibile, vel à duobus contrarijs pati, verba Aristotel. sic sanabile in cura huius quarti capitis, insanabile in prognostico antecedentis capitis, mera contradictio apparet. Mirum est, quãtoperè huic obiectioni faueat solida, & vera Philosophia hoc tropo videlicet, Habitus, & Dispositio, vt sunt duo genera qualitatis contradistincta, habitus non solum à Philosophis, sed etiam à Medicis cognoscitur qualitas radicata in subiecto de difficili mobilis, qua perfectè, & permanenter disponitur subiectum ad operandũ operationes sibi conuenientes, tam in bonum, quam in malum, exemplum patebit in scientia, arte, virtutibus, in omnibus vitijs, talia enim, & similia per Philosophum cum medullitus radicata fuerint in anima sunt habitus, sic ratione characteris fixi, & stabilis non de facili transmutantur, nec leui occasione à suo subiecto remouentur, è contrà autem dispositio contra distinta contra habitum, quam Philosophus appellat affectionem, est qualitas de facili mobilis, & citò permutabilis à subiecto, non disponens ipsum ad operandum, nisi leuiter, & imperfectè, & ne verba suis destituantur exemplis, de caliditate, & frigiditate, de sanitate, & ægritudine manifestatur, homo enim, vt experientia practicatur citò afficitur circà eas, & citò permutatur, vt ex calido fit frigidus, & è contrà,

trà,

trã, ex ſano æger, ex imbecilli fortis, verum cum hac cõditione quam vllus Philoſophus, nec Medicus denegat, & eſt, quod talis qualitas diſpoſitionis nondum ſit perfectè acquiſita, nec formata etiam breui temporis intercapedine in ſubiecto, ſeu per longas temporis ſuppetias nõ ſit contracta in naturam, tunc enim non ſub diſpoſitione, ſed ſub habitu omnes vt indubitatum aſſerunt, & certum; Quomodo ergo ex tot ſuppoſitis morbis, cauſis, & ſymptomatibus, nõ leuibus diſpoſitionibus, ſed fixis habitibus, ſic in Prognoſtico, vt ſic ſtantibus adiudicatis de neceſſitate lęthalibus, nunc in curatione fuco materiarum medicarum, quaſi mutata ſententia aſſentitur ſanabilitati, hinc calamum contradictione apparenti opprimi quis negabit? His ergo, & ſimilibus tamquam vulneribus faucijs, contra mea ſancita infligent inuidi, quæ licet in prima fronte tota ſe oſtentent plagifera, his tamen & ſi Gorgonij fontis deffluuia nõ teneo, nec Chironia manus facilimè ſuccurram, & maximè exponendo queſtionem illam apud practicantes celeberrimam, An Deſperati ſolis prognoſticis ſunt relinquendi, quid autem de hac re ſentiam paucis ecce, & præcipuè, quia plectro meliore veritatem huius præconizarunt Galenus multis in locis, ſicut etiam multi alij Medici enunciantes.

Deſperati, & deplorati ſoli prognoſtico non ſunt linquendi, & ne verborum lenocinio, nec promiſcua venuſtate (verbi enim lenocinium quandoque venuſtam deformat veritatis faciem) hæc concluſio appareat perſonata, firmis rationibus, ſtabilibus auctoritatibus, & certis experientijs publicatur ab Hipocr. lib. de probit. & 1. de popul. mor. ſect. 2. aph. 52. ſimili ſpecie videlicet, ad omnem curationem eſſe neceſſaria tria morbum, ægrum, & Medicum. Pro morbo cognitio certa, immò certiſſima reſpiciens non ſolum genera, ſed etiam ſpecies cum vni-

uersales,cum particulares (parcant hac vice quęso Aristotelici manes, quomodo detur species particularis,) vlterius an vnus,vel plures morbi,sint in spetie vniuoci, equiuoci, vel analogi, in quo gradu, vel gradibus intensionis,vel extensionis,cum tot & tantis causis immediatis,mediatis,& procatarticis, ipsorum seu ipsarum differentijs,vitijs cum coniunctis accidentibus associatis, tẽporibus,motibus criticis perfectis, vel imperfectis, symptomaticis. Pro ægro cuiusnam sit temperaturæ siuè à prædominio siuè à subdominio cum suis differentijs in viribus, gradibus,pro oppositione relatiua medicamentorum, cuiusnam propriæ, & iudiuiduæ qualitatis, cuius nam crasis partium principalium, vt cerebri, cordis, hepatis, inseruientium etiam vt sthomaci,pulmonis &c.cuius nam sit ętatis, sexus,consuetudinis,vitæ generis,proprietatis naturæ, partium affectarum cuius aeris, regionis,ventorum,cuius syderis,& cõstellationis cum à primo ortu natiuitatis, cum à secundo ortu lęsionis operationum,& tandem an infausto sydere vt est saturnus cum quarta Luna,an felici,& fortunato vt est . . . . sit æger natus. Pro Medico,vt sit Vir Philosophus, Astrologus,rerum naturæ omnium scientissimus cultor Hipocr. lib. de probitat. Medicus non sit ægrotus, seu mendosus, ne obijciatur versus ille,alijs medens, at ipse vlceribus scatens Gal.5.de tuend. sanit. Medicus non sit auarus, pecuniæ enim prius,quam sanitati cõsulere malum, immò pacisci cum ægrotantibus infame est. Gal.9.de placit. Hipocr. & Platon. Medicus sit diligentissimus, & plures vices in die,nocteque visitans ægrotantes,vt possit animaduertere motus naturæ, & vbi erit idoneitas ei adminiculari, si verò inhabilitas, prohibere, diuertere. Gal. com.21. prim. sect. aph. Medicus non sit gloriosus, nec superbus,quia Potẽtioribus medeatur, Galenus enim

in

in historia Antigenis lib. de præcog. ad posthum. non vt magis sapientes, sed vt ignoratiores vocat. 1. meth., & tandem, vt pro Medico finem imponam, Medici debent esse à carnis inquinamentis alieni, taciturni circa omnes morbos occultos, & in specie fœminarum, sint appositi ad responsiones (verba Hipocratis lib. de decenti ornatu seu de probitate) graues aduersus restituentes, ad sui similes solertes, familiares, & affabiles, temperati ad omnes, ad seditiones taciturni, ad tacendum animo obfirmato, & continentes ad tempus appositi, ad occasionem arripiendam accõmodati, ad victum frugales, & contẽti, patientes ad temporis expectationem, ad sermones expediti, omne demonstratum proferẽtes, suaui loquentia vtentes, gratijs affecti, & gloria omnium horum corroborati, ad veritatem, ac demonstrationem audentes, ac confisi.

Quibus sic statutis pro curatione secundum Hipocr. cum ex parte morbi cum suis annexis, cum ex parte ægri cum suis coniunctis, tum ex parte Medici cum suis associjs, & si ex parte huius Lector nõnulla condonabit fuerunt .n. dicta ꝑ transennã? quis poterit affirmare virtuosum esse in solo prognostico relinquere ægrotantes? quis deplorandorum non esse suscipiendam aliquam curationem affirmabit? defficilimum enim in Medico curanti ad certam horum trium syndrome scientificam applicare cognitionem, impossibile verò in illis, qui se iactant, & promittunt tot, & tantos habere infirmos. Scientia .n. cum sit certa, & euidens rei cognitio per syllogisticam demonstrationem habita, qua certitudine demonstratiua huiusmodi Medici erunt præditi in solo prognostico deserere ægrotantes, & si per dubio, & ab illis adiudicato impossibili, & maximè quia, ad illa tria superius exposita cum suis accessorijs pernoscenda, veram artis Medicæ specu-

speculationem non inflectunt. His rationibus quasi lege Diuina instructus Excellentissimus Mercurialis in Pisanis prælectionibus quærit, cur Hipocrates dixit pertinere ad Medicum præcognoscere, & prædicere omnia ægrotanti, seu melius astantibus, non autem in sancito prognostico,& si enunciato læthali se detineri, sed ad aliqua remedia properari. Vid. locum citat. in quo subtiliter, & pingui Mineruа de hac re pertractat. Verum ne à rationis orbita verba mea sint prolata, auctoritatibus multorum, qui in hac arte floruerunt possum testari. Areteus, quod etiam confirmat Iulius Cæsar Claud. in cons. de Phtisi, desperatis non est deneganda medicina, tum consolationis, & prudentiæ vitæ gratia, tum quia, Deus, & natura solent ab imminenti morte quandoque vindicare; Mercurialis tom. 3. consil. medicinæ de sput. sanguin. prorsus ægrotantem deserere inhumanum est, immò desperatis auxilia ex ratione adhibita prodesse certissimum est, notum enim est dictum Aurelij, dum spiro, spero. Idem Mercurialis in Pisanis prælectionibus supra prognost. Hipocrat. maximè in capite, rectè vero scire oportet &c. In prognosi numquam aberrare res est diuina, errare autem humana, sic solo prognostico relinquere ægrotantes pessima,& rationem addit, quia vita breuis, ars longa, occasio volucris, experimentum periculosum, iudicium difficile. Sennertus institut. medic. lib. VI. Inhumanum esse videtur nihil experiri, & tentare velle, & hominem miserum deserere, & sine medicamentis relinquere, hoc etiam tamquam veritatis exemplar collit 10. meth. med. in curatione hecticæ vltimi gradus, quamuis enim sciat talem perfectè numquam restitui posse, curari tamen non inconueniens ait. confirmat pariter locis cit. de meth. medend. contra Delphicos Medicos in historia cuiusdam Archigenis, Medici

enim

enim illi, quotiescumquè morbum aliquem deploratum credebant, non spei remediorum, non Zephiro naturæ, nec caloris natiui, ope quorum multoties monstra in arte apparent, sed solo desperationis Aquiloni, eos misere relinquebant. Comprobat idē 11. meth. ægri non sunt deserendi, quia non semper certò constat, qui morbi sint de necessitate mortales, & qui non, cum Antonello enim morbi instar belli incertus, & anceps est euentus, sic Laurentius de crisibus dicit, ah nescis? quid morbi serus vesper vehat. His omnibus alludens Hipocrat. ac non immeritò 2. aph. 29. & Auic. 4. quarti tract. 2. cap. 10. dicit, multoties saluatur aliquis absque spe Medicorum. Valeriola de loc. com. In solo prognostico obdormire ridiculum est: Caserta de motibus conuulsiuis euulgat, horridum esse acquiescere in prognostico solo Medicorum, qui per vices potius sunt carnifices togati, quam homines. Huic opinioni tamquam à veritate non aberrantis, fauet quasi tota Medicorum schola, non solum veterum, sed etiam recentiorum, hinc vt fidei inconcussæ, & probatissimæ silentij velarijs inuoluam etiam, & experientias multas quas superius enunciaui vt rationes, & auctoritates, obuallantes. De his enim sat prata bibere Excellentiss. Casert. de morb. acut. lib. iij. cap. 8. Hoc enim loco supra allegato exemplizat quinquaginta casus relictos pro desperatis, & in solo prognostico deploratis, omnes autem, nonnullis suppeditatis remedijs, etiā contrà omnem spem Medicorum bellissime valuisse. Huic veritati non reclamat morbus CAROLI V. Imperatoris Augusti, qui ab omnibus Galliæ Belgicæ Archiatris insanabilis sancitus, & solo prognostico publicatus, quia tamen aliquid temtare, quam nihil planè cognoscebant, Theseo radicis chinæ ex morbo conualuit; Sed quid de alienigenis, dum patrios testes, ac varios adducere possum.

sum. Non longè patũ, Illustriss. quidam natalium splendore non minus, quam virtutũ cõspicuus, paucis abhinc mensibus, cum aduersa valetudine esset oppressus, & à Medicis desperatus publicatus, & quasi relictus, solis fæminarum remediunculis, à fallaci Medicorum cognitione enatauit, ab adulterino prognostico reualuit, & si postea illi boni homeri medentes, nitore suę curationis gloriabantur, in publicis nobilium consessibus, fauonio suo Illustrissimum Virum bellissimè valuisse, floruisse, triumphasse. Non minori nitore clarescit, & alia historia alterius Illustrissimi Comitis, qui afflictatus à vehementi, grauiquè morbo, cum publico à nonnullis artis insanabili prognostico, immò pro auxilio solius naturę clementiæ, vt quasi desperato relicto, à prudentissima tamen ipsius muliere tamquam percupida fęlicioris mariti valetudinis nonnulla remedia, & si leuia fuere facta, non edocta in paginis Galenicis, sed amoris, & beneuolentiæ instinctu, pristina tamen salubritate maritum confirmauit. Quid ergo? in solo prognostico fidere, non solum temerarium immò inhumanum concluditur; Qui plura desiderat perlegat Casertam libro supra citato, in illo enim quisque ab omnibus contradicentibus se ipsum vindicabit absoluet.

Antequam tamen huic indubitatæ veritati, & per rationes per auctoritates, & tandem per experientias finem imponam, à meta veri non aberrare credam, si obiectionis quasdam à Galenicis clandestinis obortas, prius discutiam, caligini enim dubietatis obscurantis addita luce, Lector, felicius iter, audebit peregrinari. Galenus ergo 2. aph. 29. scribit formalibus verbis. illud semper memoria tenendum: deploratorum non esse suscipiendam curationem, sed cedere, absistereque eum ea prędictione oportere, quis nam tandẽ morbi sit futurus exitus.

Idem

Idem & lib. 11. meth. meden. cap. 9. confirmauit, in quo desperata omninò salus est, imprudentis consilij fuerit, apud vulgus infamare præsidia, quæ multis fuere saluti, immò idem Galenus paulò post statuta corroborat, tempora, præsidiumquè ijs, quos seruare spes est, scribimus, quando ęgris qui insanabiles sunt, nec tempus vllum opportunum est, nec præsidium, & hæc Galenus Medicorum primarius; Cui adeò propense fauet Caserta libro supra exposito cap. 12. mederi quibus omninò spes est fugax, potiùs est esse æmulator Gethorum, quam imitator Christianorum, ignem enim igni addere pessimum est. Ab hac opinione non longè lateque abest acutissimus Celsus lib. 5. cap. 26. prudentis sit hominis, eum, qui seruare non potest, non attingere, nec subire speciem eius, vt occisi, quem sors ipsa peremit, & tandem ne his obiectiunculis Orestem describere velle videar, possum auctorizare supra dicta loca cum lege Hipocratis in lib. primo Prognost. capite, nihil perindè Medico conducibile censeo, vsque ad septimum, Quin etiam, si Diuinum quidpiam morbis inest, huius quoque prouidētiam perdiscere, sic enim optimo iure, & admirabilem, & bonum se pręstabit Medicum: quos enim superstites fore cognouerit, eos rectiùs quoque seruabit, vtpotè ex multo tempore singula consultè perpendens; Itaquè morituros, victurosquè præsentiens, atque denuncians, omnem prorsùs calumniam vitabit. Verba Hipocr.

Pro responsione ergo breuis ero, in his enim comorari tędiosum est, quia sunt merum nihil, puræ negationes cōsideranti benè, vltra quod in scriptis Danielis Sennerti mentio non solum pro responsione est facta, sed habita illustris memoria simili distinctione; Morborum alij sunt per se, re vera, & semper incurabiles, qui nec naturæ, nec artis opera, in quocumquè etiam subiecto curari possunt,

quorumquè curatorum,nullũ vnquam exemplum compertum est,& ne hoc suis destituatur exemplis inter hęc numerantur cęcitas,& surditas natiua,gibbositas diuturna, phtisis cõfirmata, & similes, quæ sub Thesco facultatis, & artis medicæ non subiacent, ab his ergo cordatus, & prudens Medicus debet esse alienus, tamquam insanabilibus per se, non per accidens, ne similes patientes deplorato morbo in disperationem suæ malæ fortunæ incidant,sed quantum prudentia Medici ferebit,si non ad curationem veram,saltim lasciuam,quam sic Farnelius vocat, pro blanditijs ægrotantis, aliqua auxiliaria, & si fucata præscribere. Sic enim minori molestia, aura vitæ fruuntur, non desperatione paucscunt, sed spe à remedijs longiores vitę suppetias agunt. Alij sunt morbi,qui maiori ex parte interimunt,tamen inter dum ęgros inde cõualescere obseruatum est. Horum perpetuum testimonium extat apud eumdem Casertam,nec non etiam apud Herculem Saxoniam, pro diuersis enim morbis, horum proprietatibus,differentijs occultis,& formis indiuidualibus, seu qualitatibus specificis, cum à sensus iudicio, & Medici opinione deplorati existimarentur, licet re vera aliquando non sint de necessitate, in his morbis ægri nõ sunt deserendi à Medicis, sed ab his adiuuamina naturæ sunt præscribenda, his enim multoties facta præpotens, & adiuta natura etiam præter spem Medicorum,morbus in dies mitescit, & bellissime valet. Sic Hipocrates vt tantæ veritatis neque incautus,neque ignarus 2. aph. 29. scripsit in morbis acutis non omninò sunt certæ morbi, & salutis prædictiones. Vndè pro declaratione Galenus 2. aph. 23. inquit acuti morbi censentur, qui & magni sunt,& ad statum celeriter perueniunt; Vndè fit, vt breui tempore magnas faciãt mutationes, quod perindè est, ac si iudicentur dixeris; In hoc autem iudicio quia sęua,
&

& varia se ostentant symptomata, non per hoc à remedijs desistendum, immò illis est succurrendum, habita ratione ad quando, quomodo, quantũ, & vbi agendum: Sic Galenus irridet Medicos illos, qui quoties videbant in patientibus perturbationem totius corporis difficilem, & frequentem spiritum, deliria, caligines, splendores, vel lacrymas ad oculos rubentes, vel tempora grauia, vel in ceruice dolores, vel in capite perpetuos, vel oris ventriculi morsum, vel inferius labrum tremulum, ac intrà contractum, vel rigore vehementi concussum, quin etiam pleraque præcordia attrahentia, inquieta, frigidæ appetitiua intra vri, extra frigesci 1. de dieb. crit. c. 1. irridet inquam Galenus illos Medicos, qui quoties videbãt has perturbationes, toties prognostico deplorato, desperato relinquebant ægrotantes, ne scientes, quod crisis est motus maximus naturæ ad expulsionem causæ morbificæ, in quo motu, natura maximè laborat, hinc tanta symptomata, vt ęnim in iudicio à gręcis crisis dicto, vtraquè pars, tam actor, quam reus, magno conatu suam causam agunt, alteram tamen partem causa cadere, altera vincere, reumque absolui, vel condemnari necesse est, quod subito fit à Iudice latæ sententiæ, quælibet tamen partes omni virium conatu partes suas deffendere laborant, & si vna ex his partibus iuridica fundamẽta cognoscat leuia, attamen totis viribus agit, ad extremum desudat sudorem pro victoria capescenda, per vices enim dubio se cõmittere Marti sanum est. Lauren. de crisi. A simili in morborum perturbationibus, quæ maximę se ostentant in his affectibus secundæ partis diuisionis Sennerti supra dicti, licet natura, & morbus omni virium nixu contendant de victoria, vt Cęsar, non nihil naturæ succedat, totis neruis Medicus debet opitulari, non autem in illis signis sic apparentibus, vt de dieb. crit. dixi, horescere, ex-

timescere, & in solo prognostico desperato obdormire absque aliquo remediorũ opitulatu. Sic Sennertus idem in similibus morbis licet aliquid moliri, naturamque tentare, & aliquid medicamenti propinare, quod ipsi non multum facessat negotij. Ex cuius vsu, si videamus naturam non solum nõ labefactari, sed etiam nõ nihil ipsius viriũ colligere: sensim ad validiora progrediendum, donec sanitas restituatur. Quod si vehementia morbi æger occubuerit, Medicus nihilominus, & suum officium, & quod Artis est, fecit, non secus ac bonus nauclerus, qui quamuis diligentissimè nauem gubernet, tempestate abreptus, & victus portum attingere non valet. Vnum sicco pede pertransire nollo, quod in quibus nulla vitæ diuturnioris spes superest, siue sint læthaliter saucij, spirantes, siue graui, vehementique morbo afflictati, cum certo necis periculo, vt ex prognosticis Hipocrat. nulla generosiora medicamenta sunt exhibenda, nec à Medico pręscribenda, sed tantum vt superius dixi, lasciua, & fucata, cum prædictione, sic enim cum Hipocr. & bonum, & admirabilem se pręstabit Medicum, & vulgi calumniam vitabit, immò potius auras populares venabitur, plebeios rumores non solum, verum etiam nobilium consequetur. Quapropter sine difficultatum tenebris perspicuum lucescit, quod vlla contradictio non se ostentat huius quarti, & vltimi capitis cum supradicto, quomodo solo prognostico ægrotantes non sunt relinquendi, quomodo ad loca Galeni, Aretei, & similium sit respondendum, sicut pro iuueni Illustrissimo opitulando, quomodo inuigilaui, insudaui. Ne ergo in verborum ęquiuocis, mea turgescat calamus, sic ad remedia confestim propero.

Inter Pharmaceutica remedia, opera seu intentiones curatiuas desumpsi, à causis, à morbis, à symptomatibus, & à locis affectis, sic Galenus ad Glauc. cap. 1. denominat

nat

nat illa, prout directa, tum ad res secundum naturam, cũ ad res prẹter naturam; Prima dicta Vitalia, respicientia proportionem viscerum, debitam spirituum, & calidi innati, tum quantitatem, tum qualitatem, ac tandem eiusdem calidi innati motum, de quibus Galenus de composit, med. per gen. c. 1. 5. simpl. cap. 24. lib. 3. de Theriaca ad Pison. cap. 4. Secunda multipliciter nominauit Galenus, pro triplici differentia, causarum, morborum, ac symptomatum, vt de constitut. art. per totum lib. sic modo Præseruatiua, Curatiua, Correctiua, & simili forma, pro vt aspicere debent, vel morbos, vel causas, vel symptomata, siue simul, siue diuisa, & prout indicata, & à parte, & vnita, agentem Medicum exercent, sic Hipocrat. de locis in hom. Gal. lib. 6. de compos. med. 2. locos. Imprecor fortunæ, me in hoc casu Pharmaciæ pro Illustrissimo iuueni, à debilitate virium, cum magnitudine morborum, causarum, & symptomatum, manus habuisse impeditas; Doleo in nobilissimo Ephebo, Prognosticum non æquiualuisse indicationibus suppositis, & præcipuè quia nihil mihi magis erat in votis, quam tantum iuuenem à quacumque molestia vindicare, & non immeritò, fuit enim mihi primo cum & à Serenissimo DVCE deindè ab Eminentissimo CARDINALI ESTENSIBVS commendatus, vt commendatior esse non poterat, tum quia non eram nescius, vt promiserat, tàm pro vita, quàm pro morte, laboribus meis persoluisse beneficia, sicut non me latet Illustrissimũ, & generosissimum BERNARDINVM Patrem, tamquam verum gratitudinis protypon, vt vbiquè locorum sic veneratum, loco filij fore responsurum.

Remedia ergo Pharmaceutica fuere similia. Si pauca, virtutis inhabilitas, vt dixi iudicauit. sicut si febri, Diarrheæ, Dyssenteriæ, tenesmo, relaxationi, seu aperitioni ani cum accessorijs à parte ad partem prophilartice non fuere

fuere respődentia, Docet Galenus de meth. med. In morbis malæ qualitatis, & cum syndrome diuersorum, rectum cursum difficile est obtinere, prout verò occasio, & necessitas quærit, agendum. Confirmat Arnoldus in curat. febris cum Hydrope tympaniti. In varietate morborum, causarum, & symptomatum, Medicus medendo languescit.

Primo ergo Clyster fuit applicatus abstergens, quem in similibus casib⁹ omnes, præcipuè Gualterus Bruel magis, atque magis commendat, ex decoctione hordei non excorticati, iuris pulli chalybeati, saccari rubri, syrupi rosarum simplicis infusionis cum vitello oui, oleo rosato, & sine sale. Hic per duas vices in fronte curationis fuit intromissus, non autem Rhabarbarum, Myrabolanos, Pulpam tamarindorum citrinorũ, syrupos rosatum solutiuum, nec violatum solutiuum, ab his enim in totum fuit non tantum auersus, qũàm alienissimus, vltra quod, & ego ipse perhorrui Axioma Mauritanorum Principis, Fluxum, fluxui addere, periculosum est. Ab aluo lenita, pręparaui cum proportionatis ad febrem, ad vitia humorum, Diarrheam, & horum accessoria, vt cum potione ex radicibus acetosæ, fragrariæ, cichorij, endiuiæ portulacæ, seminum endiuiæ, citri, hordei, passularum maiorum exacinatarum coctorum in decocto hordei, & collaturæ addito semper spiritu vitrioli, & gutta auri potabilis, & si per noctem semper manebant infusa in suprascripta potione bolus armena orientalis, & santali citrini cum similibus, sicut pro putredine non solum de die in diem magis fera se ostentanti, sed etiã perniciosa, vt ex signis pathagnanomicis, post biduum ad suprascriptam potionem permisceri volui melissam, nec non succum acetosæ depuratum, & tantillum succi limonum, Verum quia victoria horum morborum consistebat, in edomatione, &

mate-

materiæ morbificæ, ſed etiam qualitatis prauæ, quæ ne maiores figeret radices, quamprimùm contrarijs exſiccantibus, & reſiſtentibus refrigerãtibus volui oppugnare, ſic pro fructu, & iuuamine, habita tamen ſemper ratione etiam ad diarrheam cum corroborantibus, ſicut pro partibus recipientibus, & generantibus, ſerum vaccinum ſtillatitium cum multis alijs, deſcriptum à Doctiſſimo Caſerta de febre maligna cũ dyſſenteria, poſt horas quinque à cibo cum auro, & chalibe reſtinctum, cum ſucco acetoſæ, aſſumpſit, & maximè etiam gratia blandimenti ſitis, tàm grauè Illuſtriſſimum Dominùm infeſtantis. Pro feliciori curſu, & horum actiuitate, & alia intrinſeca, & extrinſeca curaui proficua, vt ante ſyrupum matutinum bolum ex fol. Auri, cornu cer. vſt. præp., lapid. Bezaar, hyacinth, Margarit. ſuc. citri, ab extra Epithema ex Aquis violarum, citri, boraginis, meliſſæ, roſarum, acetoſæ, cichorij ex quatuor floribus cordialibus, corticibus citri, cinamom, camphora, crocò ſpet. cordial. pro epithem. temper. aceto. roſ. & vin. maluat. poſt cuius applicationem, probaui ſemper illitionem, ex oleo florum citri. cum gall. muſc. aqua roſar. & aceto roſato, ſicut per vices in perſeueratione indicantis, & non prohibentis, confectionem hiacynthinam cordi illitam, & pro quantitate ſpirituum reſarcienda, & conſeruanda odorata tum ſimplicia cum compoſita volui ex roſ. viol. ſantal. aceto roſ. Aqua roſ. citri. limonibus &c.

Verum his omnibus conſtitutis, & febri refrigerando, & humectando, & cordi roborantibus, nec non proportionatis vitalibus, & cauſis morbificis cum reſiſtentibus ad putredinem, & vitia humorum, ſicut pro fomite Diarrheæ illum tollere, pro vitio illius ad excretionem ſtimulanti, emendare, ventriculũ & inteſtina roborari, fluxum enim illum numquam mihi fuit in animo detinere niſi in

parte

parte his tamen, & si tali tropo constitutis, vice fęlicioris correctionis febris Diarrheæ, & symptomatum, peiori lapsu cecidit in naufragium Dyssentericum, Differentiæ, Vitij, Cruciatus, & status prout supra fuit peruulgatus. Quapropter & à fronte huius morbi actio medica adoleuit auxilio nō sistendi, sed quidem cum Clysteribus intestina lauandi, & sæpiùs repetendi cum respectu ad materiam tenuem, abradentem, putrefactam, nec non ēt ad locum recipientem, ex hordeo mundo primò cum saccaro, & duobus vitellis ouorum, per vices addere curaui mel. & ol. rosatum, myrtinum, & ouum integrum, sicut etiàm aliquando enemata varia ex decoctione gallinæ chalibeatæ cum hordeo, mel. rof. & duob. vitellis ouorum pro mundandis intestinis à bile, & muco non naturali, sed pituitoso mordaci, contra vsum illorum, qui in principio Dyssenterię cum apparitione quorumdam mucorum semper ad Clysteres properant abstergentes. Ne autem à mordacitate affluentiū humorum interna magis intestinorum tunica abraderetur, post abstergentes, seu cū abstergentibus nonnulla emplastica associari, vt morsus, & acrimonia sęua compesceretur, cum decoctione hordei, & muc. psilij, adipe caprino, ptissana hordacea, albumin. ouor. conquassat. ol. rosat. bol. armen. gumm. Arabic. tragacanth. &c. sicut solerter inuestigaui ab his emplasticis, ne materia affluens esset detenta maximè in cauitatibus intestinorum, vndè perepicrasim laudabam clysteres abstergentes: His tamen, & si labore insigni inuigilans, importabili mole dolorum fuit oppressus, non solum per hypogastricam, verum & vmbelicalem, ac epigastricam regionem, ab his intendebantur vigiliæ, febris, inquietudo, & alia symptomata assignata, in hos tentaui incumbere pro adiumento sedatiuo, non cum quibus simpliciter laxandi vim habentibus, verum simul moderatè

fri-

frigidis, viſcidis acrimoniā obtundentibus, docet enim experientia fida, quod in doloribus dyſſenteriæ non poſſumus ſemper ablationi cauſæ indulgere, à qua malignitas,& acrimonia compeſcitur,quod luce clarius pro certitudine apparet, ſed excedere per vices opportunitas cogit. Vt ſalutaria aliqua Clyſteriola fuere intromiſſa vel ex iure inteſtinorum brutorum cū hordeo, cum mucilagine pſillij, cum aqua roſarum extract. adipe caprino, cerato roſaceo, mell. roſat., vitellis ouorum, vel ex ſolo lacte vaccino, & ouino in quo ſępiùs lapides igniti fuere extincti cum ſuis mucilaginibus, & additione capitis verucis ablata lingua, & cerebro vt huic morbo antipaticis, in his diutius non continuaui, ob timorem ne vlcus fieret ſordidum licet, & Clyſteres, lenientes emplaſticos, abſtergentes, & ſimul adſtringentes, quam libentiſſime præſcripſi, immò quadam nocte circa horam ſextā noctis intenſiſſimo dolore correptus Illuſtriſſimus Dominus cum inſtantis periculo necis, & ſupradictis nō conferentibus, opiatum dedi, Philonium ſcilicet Romanum, cū theriaca, & lapide Bezaar, ſicut ab extra vnctiones ex oleo roſat. myrtin. cyton. cum omento caſtrat. Ab his dolor fuit lenitus, ſomnus prouocatus, qui maxime,& ab ęgro,& à Medico deſiderabatur, immò & fluxus quaſi victus, reſtrictus, ſitis diminuta, facies hilaris, & ſine maiori viriū diſpendio, ſi non potiori auxilio. De euentu obſtupuere omnes Illuſtriſſimum Dominum quaſi ſecurum prædicantes, & inter hos Illuſtriſſimus, & Generoſiſſimus Dominus Comes CÆSAR TEDESCHVS, qui quotidie infirmos omnes de Aula Sereniſſimi Ducis Eſtenſis inuiſebat, ſed omnium maxime Illuſtriſſimum Paleottum tamquam ſuæ ſanitatis amaſium, non autem obſtupuere Medici, publicantes omnes gaudium ſterile, periculoſum facinus, iuxta regulā Hipocraticam, ſi mor-

bus se ostentet felicior non consumata sęuitia causarum, nec symptomatum, non est fidendum: Huius tamquam veritatis indubitatæ fuit conscius noster casus, à Dyssenteria enim sanguis copiosè excerni cepit, Tenesmos, & tandem post breue temporis interuallum musculorum ani relaxatio se patefecit: Pro sanguine nimis copiosè fluenti, perdubius mansi excretionem illam sistere, videbã enim quod à duabus, vel tribus horis ante hanc emorrhargiam, febris maior, & alia concomitantia erant adaucta, pathagnanomica materiæ peccantis in substantia, quãtitate, qualitate, & Vbi, sic fluxum comprimere malum Gal. de meth. med., ex altera autem, ne vitam cum sanguine exhallaret, præcipuè quia vires ab hora in horã magis eneruabantur, præscripsi clysteres adstringentes ex decoctione hordei excorticati torrefacti, plantaginis, poligonij, bursæ pastoris, cum additione boli armeni, sanguinis draconis, thuris, masticis, succi plantaginis, gummi Arabici, Tragacanth. cum ouo integro: Pro hoc clystere quantitas fuit pauca, & minor vt diutiùs retineretur, idquè semper feci, quando coroborare, & adstringere volui, sicut maior, quando indicatio fuit detergendi, pro huius hęmorrargiæ opitulatu, & varia interna per os assumpsit, habita semper tamen ratione ad vires, ad febrem, & alia, vt syrupum corallorum rubrorum, vt tincturam tamquam secretum cornu cerui vst. præparat. cũ alijs prout Caserta doctissimè scripsit, confect. hyacinthin., sicut ab extrà emplastrũ de crusta panis, sicut aliud ex carne cydoneorum sub cineribus coctor. radic. consolid. mai similiter contus. & coct., & per cribrum traiectarum, addit. thure, mastice, hypocyst. acacia bol. arm. sang. drac. tragachant, cũ ol. rosat. masticin. cydon. myrt. succ. plantag. cydon. farinæ milij, aceto rosato, & passulis cũ tantillo cerę. Immò in secunda vice abscinthium,

nucem

nucem muſcatam addere curaui; ſicut etiam, vt proficua credidi quędam fomēta, ſacculos, & ſimilia à me adamuſſim, & ſolerti induſtria inueſtigata cum multis ingrediētibus vltra vitium humorum, partes generantes, ſed pręcipuè hepar, & ſthomacum reſpicientibus, quas partes quiſque in paleſtra medica, & ſi leuiter initiatus debet habere: Tandem ab his ſanguinis fluor quodamodo diminutus, & quaſi nihilatus, ſoli virtuti, teneſmo, & relaxationi meæ fuere partes. Pro virtute ſupradicta ſpecimen confirmationis, immò ſi poſſibile fuiſſet, maioritatis repræſentarunt, ſicut ex dicendis, & cum iulapijs gemmatis, manus Chriſti perlatis, & alimentis proportionatis, luce clarius apparebit, hinc ſicco calamo prætermittam. Pro teneſmo, Scopus curatiuus non fuit alienus, à Dyſſenterico, eadem enim apparuit cauſa vnius, & alterius, ſic inuigilaui tantum pro abſtergendis humoribus ſtimulantibus, vlcus, ſeu vlcera plagifera ſanandis, dolores aſſodynis mitigandis, & tandem parti cum roborantibus cōfirmandis, ne ab externis, vel internis pars conuulneraretur iniurijs. Pro his ergo varij fuere clyſterioli, nunc ex verbaſco, lumbricis, roſis, cydonijs, fęnu græc. cum lacte, aliquando cum iure carnium, peruices cum aqua hordei chalibeata, cum oleo roſ., cum vitell. ouor., cum ptiſſana; Dixi clyſteriolos, quia ex conſenſu practicantium hi debent eſſe intromiſſi in quantitate pauci, ſed frequentes, hoc autem ſum ſecutus, provt dolor, & cauſa indicabat, immò ſęuitia illius per vices graſſante, & nonnulla opiata, licet debilia, ſeu dicam melius narcotica, miſcere volui, Ab extrà fomenta varia circà os ſacrū, & interfemineum, vt e. g. ex decocto anethi, mellilot. chamęmelini, violar, roſar, altheę, verbaſch. conſolid. mai. plantag. ſem. fęn. gr. lini, anethi, ab hoc vnctio cum ol. chamęmell. anetin. roſac. vulpin. in quibus coct. ſint.

H 2 dau-

daucus, angelica, cuminuſ. ſem. lini ſengr. nec non aneth. Et ſuppoſitoria non iudicaui infrugifera, ex ſeuo hircino cum gran. ij. opij, maximè dolore ſęuo infeſtanti, & ſuffumigia, vt nō vulgariter pro futura, ſi vires permiſiſſent non illaudauiſſem, ſicut horum loco ęgrum geſtare tabulam ex ligno cupreſſi, vel iuglandis calefactam, & illitam ſeuo hircino procuraui; Verum quia numquam vlcus inteſtini recti plagiferum potuit eſſe abſterſum, ſic partē conſolidari indicatio non arriſit. ſolum ad detergentiā continuanda, & ad ani ſeu inteſtini relaxati vitium claudendum inuigilaui, & quo ad potui feſtinaui. cum fomento ex roſis, mentha, ſem. lini, anethi, verbaſci. herba paraliſia. corticibus granat, plantag. ballauſt. thuris. myrthi. in aqua tandem addito tantillo vini ádſtringentis. Poſtea vnxi locum cum oleis menthæ maſticis, & myrthi, ad quam vnctionem inſperſus fuit puluis Thuris, maſticis, ſanguin, dracon, menthæ, roſarum, nucis muſcat. gariofil. & hęc de febræ, Diarrhea, Dyſſenteria, Teneſmo, & ani Relaxatione quo ad curationem breuiter enarrata, in cetteris enim ſymptomatibus, prout nata fuit occaſio, ad vnguem, & ad extremum deſudaui ſudorem pro illorum correctione, ſcilicet pro dolore capitis, ſitis, vigiliarum, linguæ aſperæ, & ſimilium, quæ ne ſim tędio ſilentij velarijs inuoluo, & hæc de Pharmaceuticis.

Quod ſpectat ad Chirurgica, in his ero breuiloquus, ex ſecundis enim literis Perilluſtris, & Excellentiſs. Palladorij feſtinantibus reſponſum, meam de hac re aperire ſententiam non potui, & ſi quantum in me fuiſſet conceſſum ſupra multas controuerſias libenter meam coronauiſſem compoſitionem. Interim viribus in Illuſtriſs. Paleoto imfirmis, tum in facto, cum in fieri, & præſenti, ac futuro cum Gal. 11. meth. 4. 9. meth. 4. & 11. venæ ſectio me deterruit, ac magis non licuit, ſanguis enim non

pecca-

peccabat, nec vt causa principalis, nec vt coadiuuans, sed potius bilis cum fluxu Diarrhetico, deindè dyssenterico, Aluo autem fluente ex Galen. prohibetur venæ sectio, propter metum, ne æger possit duas sustinere euacuationes simul; Nec est quod mihi sint iacturæ obiectiones, quod in Dyssenteria succedenti diarrheæ sanguis (vt in nostro casu) si non vt causa principalis, nec coadiuuans, saltim vt condicio sine qua non peccet, vlterius in casu nostro cum vitio putredinis, quantitatis, qualitatis, sed præcipuè, vbi mouentis, cum impetu ad intestina, cum imminenti imflamatione, dolore perseueranti, febri insigni, siti intensa, & similibus, vndè non solum cum Galen. mille locis, sed etiam cum communi experientia tā quam à ratione minime alienum, & in his facilime me adduxissem, ni ob vires, & prohibens exposita supra, grauem iacturam immò maiorem non germinassent; sic in mea Demonstratione contra dicentes venam non posse tutò seccari in pueris antequam decimum quartū agant ætatis annum. Vice venæ sectionis meo arbitratu iudicaui proficuum in Illustrissimo viro ab hemorrhidibus cum hirudinibus sanguinem elicere, non autem à Saluatella, quæ vt mea fert opinio contra Paulum, Oribasium, Auicenam, & quosdam recentiores non probatur, sicut dante occasione euulgabo, ab his vt materia Medica fuit sanguis euacuatus, sensibiliter, & sensim citrà molestiam ad oncias tres, antequam tamen illæ partes imæ laborarent tribus diebus ante dyssent. applicaui non ad hæmorroidas internas, quæ sunt rami splenicæ venæ, sed ad externas propagines venę cauæ. Vndè ne hæc actio appareat incondita, & tergiuescans hanc actionem ęternæ medicantium memoriæ commendat Excellentissimus Caserta, loco nuper allegato, Gualterus affirmat de dyssenteria, & maximè quando consueta aliqua euacuatio hæmorroi-

morroi-

morroidum turget suppressa, siue mensium, non solum enim euacuat, deriuat, reuellit, ventillat, aperit, deobstruit, sed etiam omnia venæ sectionis munia suo modo exercet. Nec fui nescius, in perseueratione diarrheæ, & adhuc magis in dyssenteria, cum impetuoso sanguinis profluuio, frictiones brachiorum, spatularum, crurum, femorum, sicut lotiones pedum, manuumquè laudare, illas autem pluries repetitas sic Gal. 2. de san. tuend. cap. 3. & 4. lib. 3. ibid. cap. 2. & hæc de Chirurgicis cursim breuiterque delineatis.

Quod spectat ad Diatetica, materias horum retuli modo solito ad res naturales dictas Gal. lib. art. med. cap. 85. Hæ sunt Aer, cibus & potus, somnus & vigilia, excreta & retenta, motus & quies, Animi accidentia. Aer fuit à me ponderatus in principio, & vt alimentum, & vt materia medicinalis. Si primo modo, quæsiui purum, odoratum, non infectum, sed contra putredinem, si secundo modo, frigidum, siccum, si non à natura saltim ab arte, nomine frigidi, non intelligo frigidum intensum, etenim in Dyssenteria cum malignitas, & acrimonia humorum, & vaporum semper sit associata, optimum est poros semper possidere patulos pro illorum exhalatione, non autem pro expulsione ad interiora. Sic Fauentinus in suis consilijs. Gal. 12. meth. 5. primo de tuend. 11. 9. meth. 14. Quo ad cibum sicut aer, ita & hic fuit duplex, alimentalis, & medicinalis Gal. 1. de ron. vic. 44. Alimentalis prout morborum quantitas, & qualitas clamauit, responsum fuit, vt oua, iuscula carnium, cõtusa carnium, panem tritum, panem coctum in iure; & similia; medicinalis à principio semper ad finē, solerter à me fuit ponderatus modo huius, modo illius speciei, prout varia erat causa morbifica, & morbus. Pro causa morbifica, primo si peccanti in putredine cibus fuit refrigerans, siccans,

cum

cum acido limonis, margaritis in ſucco limonum eliquatis, cum puluer. cord. cum lact. ſemin. melon. & ptiſana, & maximè quia putredo, & qualitas putredini venefica aſſocia cognoſcit obſtructiones, quæ per hos attenuantur, deterguntur; Secundo in copia cibus fuit modo magis, modo minus in Illuſtriſſimo viro, ſicut maior, vel minor fuit indicatio; Tertio in qualitate cibus fuit alter, febre tantum vigente, alter in Diarrhea, in dyſſenteria; Pro febre refrigerans ſiccans cum hordeo, cichorio domeſtico, pro diarrhea, & dyſſenteria frigidus quidem, quia à cauſa calida pendebant affectus, ſed ſimul cum vi emplaſtica, tandem adſtringenti in morbi progreſſu, roboranti ventriculum inteſtina, Nec eſt quod aliquis argutiunculus dicat, adſtringentia in dyſſenteria cum febre, non ſolum eſſe inutilia, ſed etiam perniciosa, quia vrgente febri à me non fuere præſcripta, & dante caſu maioris indicantis, minori non neglecto, ſemper vrgentiori incumbendum. Sic Gal. de loc. aff. & de meth. med. Cibi ergo fuere facilis coctionis, & qui bonum ſanguinem generare poſſent, in Illuſtriſſimo enim viro imbecillis erat coctrix, & retentrix facultas, Vndè à lyceo, & Paleſtra medica ſunt explodendi illi Medici, qui Dyſſentericis cibos duriſſimos, & difficilis coctionis exhibent modo virtute adſtringenti pollere videantur, tantum enim abeſt, vt ex his vtilitatem experiantur, immò maius morbi augmentum quales ſunt qui laudant oua cocta in aceto indurata, lentes, fabas, panicum, cruſtam panis, orizam, meſpilla, fructus cornorũ &c. In noſtro ergo paciente fuere ſupradicta alimentalia, & medicinalia, his ſuperaddita omnia chalibeata, aurata, lac, & magiſterium perlarum, amylum diſſolutum cum iure caſtrati, contuſum auium montanarum coctarum in aqua chalibeata, aurata multis ingredientibus aſſociata pro ſpetie, putredine,

quan-

quantitate, qualitate, & motu humorum peccantium. In principio pastus æger aliquid stiptici semper sumebat, vt conser.rosar.Diacyton. &c. Etepata gallinæ commẽdata, sicut non minimè infrugiferum laudaui panem album bis coctum; far in iure pulli aurati coct., simul cum pedibus vitullinis, Ius gallinæ in cuius ventre multa adstringentia,alterantia cocta: Nec lac fuit vnica vice improbatum mulieris boni habitus, victusque bonam rationem seruantis, & hec pro cibis Illustrissimi patientis in genere saltim si non in specie enarrata. Sicut relinquo modum augendi,modo minuendi cibos hos medicinalem, vel alimentalem,tempus vniuersale, cum particulare horum ciborum in nostro patiente, horas cibandi, locum, seu vbi agendum &c. Quo ad potum, quemadmodum de aere, & de cibo, idem de potu fuit illatio,alimentalis scilicet, & medicinalis, ab hoc non longe lateque abest Galenus 8.meth.c.3. & 3. de temp. 2. Alimentalis in Primordio morbi febrilis fuit aqua cocta,nõ cruda,qua ante meam visitationem per primos dies vsus est, & copiosè, talis autem non modo non nutriuit, quia erat cruda, sed etiam ob crassitiem, & partes etherogeneas diutiùs in ventriculo morata est,illum,& intestina deturbauit, multam bilem, & amaram produxit. Sic Galenus 3. āuct. 40. Cocta ergo, & tenuior facta cum additione hordei,& collandror. præp.& alimentalis, & medicinalis functa est officio refrigerando, & si pro diuersa actione causæ,varias etiam egi partes,in primis diebus cum succo citri, vel limonis clarefacti cum tantillo saccari pro putredine cum coriand. Secundo cum hordeo torrefacto post cuius coctionem aurari semper volui, & chalybeari; Tertio cum decocto tamarindorũ maximè in dyssenteria peruices prunorum acidorum. Quarto cũ vino granatorum aqua diluto,ac tandem cum vino subrubro,
aquo-

aquoso in quo saccarum rosatum vetus, folia acetosæ,& pulpa tamarind. fuerint infusa. licet enim morbi essent caumatici, plus tamen vinũ indicabant vires quam prohibebant morbi Gal. 1. àd Glauc. 14. non impediens, sed auidè desiderans proprietas indiuidualis Illustrissimi Domini vinum saltim lymphatum, condonandum enim est semper, & ętati, regioni, tempori, & consuetudini. Exemplum lucet apud Aristot. 28. Probl. 1. de Dyonisio, & hęc ne pluribus rem complectar de potu dixisse volui. Sicut paucis perstringo de alijs rebus non naturalibus, pleno enim calamo insupradictis sum largitus,& intelligenti hæc sufficere non sum nescius,solũ de somno,quantum fieri potui reparaui, inter enim cruciatus, qui maximè nostrum ęgrum offendebant erant assiduæ vigiliæ, pro opitulatu quarum per vices citrà alienum adminiculum supradicta pharmaceutica somnum conciliarunt, aliquando propria industria arrogaui cum somniferis Galen. 10. meth. 8. 12. lib. simpl.& loc. meth. 3. v.g. Vng. populeon ol. nenuph. opio, & croco, leniendo partes capitis pulsantes, & foramina narium, sicut ab intra tanti fuit fructus cum cibarijs coquere lactuc. & immiscere emulsion. semin. papau. alb., sicut hora somni aquam lactucæ cum syrupo de papauer: Quo ad animi accidentia vehementer in his insudaui, pro disponendo patientẽ ad mentis hilaritatem, fuit enim semper meticulosus, & anxio melencholiæ insignis fluctuans ęstu, & hæc pro corpore Responsi ad literas dixisse sufficiat.

Interim Vir Excellentiss. sicut tuarum literarum impulsui obsequium dare, solus mihi effulsit animus, ità in calce meorum laborum,& hęc quatuor humanissimis auribus degustare etiam, atque etiam precor.

Primum,quod adeo vera,non inuenta fuere, quęcumque publicitus exposui de syndrome affectuum non so-

lum, sed etiam de cura Illustrissimi Paleoti, vt Apollinis oracula, aut Sibyllæ folia non sunt veriora,& ne me quis existimet, verborum fuco velle simulatum agere Dędalum, prout medentes multi,vel melius, Carnifices Togati, assuescunt in publicis Archiatrorũ consessibus, à natura sua,& ideas, & materias medicas cum fucata, ac simulanti verborum illiade variegare, En pro certitudine veritatis protypon confirmabunt, veterani consumatissimique theatri Medici Achilles supradicti in curatione collegæ. HIERONYMVS MORAGIVS, & FRANCISCVS VERMIVS Placent. Sed quid de his solis? eidem iudicio non se subscribet Excellentissimus,& Peritissimus Medicus FRANCISCVS TARTINVS Bononiensis, qui perdius,& per nox inuigilauit semper pro feliciori borea Illustrissimi patientis,Bononia laxatis habenis ab Illustrissimo Patre Paleoto Placentiam missus, Hic autem à me de omni charybde querula factus conscius, sicut de omni auxiliari pro eius salubri fuga, dixit cum Euripide, Nec addere possum,nec debeo. Superaddo, quod in Arte non soleo fingere quicquam, non aliud fronte simulare,& aliud pectore præmere, sic Chirurgus Hieronymus Pila Albertus,& Io. Babtista Guerra seplasiarius,tamquã veritatis studiosissimi, & ipsi testabuntur.

Secundum quod à te summopere efflagito est, erratis remittere mulctam, inutilibus condonare veniam, illis inquam, tum quia tyrocinij Medici rudimenta vix deposui,& si per tot annos in hac arte ad extremos desudaui sudores, per tot annos virili marte in hac palestra elaboraui, per Antonellum enim in exordio medicinæ solus artis quinquagenarius Medici nomen meretur, tum quia ingenio tenui, & per quam exigua doctrina sum præditus,veram artis Medicę disciplinam per transennam tantum perlustraui, seu melius in hac arte, vt canis e Nilo pitissaui,

tiſſaui. Quod ſpectat ad inutilia, multa apparent magis loquacia, quam neceſſaria, multa incondita quam ornata, medullitus autem conſideranti, multis peruices, vt ſquammis variegare cõpoſitiones euulgat Demoſthenij leporis anteſignanus, gloriatur Mercatus. Sic natura Spineta cum Roſis, Philoſophia ens reale cum ente rationis inſucuit.

Tertium eſt, quod à te non ſolum, ſed etiam à benigniſſimo Lectore quero, ſi in quoſdam medicos animi mei motus ardenter, & aperte effudi ſolummodo in quoſdam externos ſycophantas, non autem in Medicos Placentię patritios, ſeu patrios meum flagrauit ęſtus, nõ ſum enim ignarus, immò patet me licet immerentem ſingulari fauore omnes me compleſti, notum eſt nihil mihi iucundius, aut honorificentius, quam in amicorum ſuorum numerum aſcribi, ſic iure gratitudinis omnes Placentiæ laureatos in genere, & in ſpecie colo, & prędico.

Quarto tandem, & vltimo reſponſo meo vltimas pono metas, his quidem non autem deſiderio tibi Vir Excellentiſſime ad maiora inſeruiendi, omnem enim mouere lapidem ſpes ſemper arridebit, effulget. Interim pro collata benignitate immortales tibi ago gratias, agamquè dum viuam. Vtinam mihi ſuperi tantam aliquando concedant facultatem, vt poſſim hunc animum tui ardentiſſimum re potius quam verbis declarare. Pro nunc, teſtor me ad omnes nutus ſemper paratum, ad tua vota accommodum, ad tuas occaſiones ſemper facillimum, non hæſitantem quin fortuna ſit aliquãdo benigniųs etiam meis ſtudijs reſponſura, faxit Deus. Vale, viue, ama. Placentiæ die 8. Octobris 1648.

Tuæ Perill.ris & Exc.me dominationis

Additiſſimus ſeru[illegible]s

Franciſcus Felinus Medicorum Placentiæ minimus.

Errata.   *Correcta.*

litteras	lege	literas	in fronte	
miſſeram	lege	miſeram	in dedicatoria	
euulgari	lege	euulgari impoſuiſſet in eadem.		
ſçppè	lege	ſçpe	pag. 2.	lin. 26.
Annum	lege	Anum	pag. 3.	lin. 22.
proſſigare	lege	profligare	pag. 5.	lin. 8.
ſçppè	lege	ſçpe	pag. 8.	lin. 1.
ſolutam.	lege	ſoluam	pag. 9.	lin. 1.
ſiue	lege	ſine	pag. 12.	lin. 1.
Perindæ	lege	Perindè	pag. 12.	lin. 18.
Aui	lege	Ani	pag. 15.	lin. 14.
Auum	lege	Anum	pag. 16.	lin. 3.
obliuiuntur	lege	obliniuntur	pag. 17.	lin. 2.
obliuiuit	lege	oblinjuit	pag. 17.	lin. 5.
Archiatro	lege	Archiater	pag. 17.	lin. 15.
deſtituti	lege	deſtituta	pag. 17.	lin. 20.
quaſdam	lege	quoſdam	pag. 17.	lin. 22.
Dçdaleis	lege	Dçdaleis	pag. 19.	lin. 4.
quales	lege	quale	pag. 19.	lin. 21.
Declinem	lege	Decliuem	pag. 22.	lin. 1.
Aſſendere	lege	Aſcendere	pag. 22.	lin. 14.
ſthomaci	lege	ſtomaci	pag. 18.	lin. 33.
Dyſſenterio	lege	Dyſſenterico	pag. 24.	lin. 10.
Cepit	lege	Cçpit	pag. 24.	lin. 26.
Incidet	lege	Incident	pag. 25.	lin. 11.
quis	lege	qui	pag. 25.	lin. 16.
Pallioti	lege	Palleoti	pag. 1.	lin. 16.
poſſit fauere	lege	poſſit fauere?	pag. 29.	lin. 1.
nonunquam	lege	nonnunquam	pag. 3.	lin. 6.
diudicatur	lege	diiudicatur	pag. 34.	lin. 32.
conualitaris	lege	conualituris	pag. 35.	lin. 20.
deiſluuia	lege	defluuia	pag. 43.	lin. 17.
comprçhendo	lege	comprehendo	pag. 36.	lin. 4.
ſunt.	lege	ſint	pag. 43.	lin. 20.
Indiuiuiduitate	lege	Indiuiduitate	pag. 36.	lin. 14.
ſthomaci	lege	ſtomaci	pag. 44.	lin. 14.
mea	lege	meus	pag. 52.	lin. 29.
compoſit	lege	compoſit.	pag. 53.	lin. 5.